PALESTRA APOLOGETICA MARIANA,

IN QVA

A CENSURA SUB EMENTITO SACRÆ Facultatis Theologiæ Parisiensis nomine evulgata,

PROPOSITIONES DECERPTÆ E PRIMO TOMO VITÆ Sanctissimæ Dei Genitricis,

EDITÆ HISPANO IDIOMATE A V. MATRE Maria à Iesu Abbatissa Conuentus Purissimæ Conceptionis Villæ de Agreda, vindicantur,

NECNON MAIESTAS GRATIARUM Beatissimæ Deiparæ, Reginæ Angelorum, Imperatricis Uniuersi,

IMO ET FAMA ALMÆ UNIVERSITATIS Parisiensis, vbique Terrarum famigeratissimæ, caliginibus irrogatæ Censuræ obtenebratæ:

ELVCVBRATA

PER R. P. M. FR. GABRIELEM DE NOBOA Ordinis Sancti Francisci Regularis Observantiæ, Doctorem in Sacra Theologia Claustri, & Gremij Vniuersitatis Salmanticensis.

SALMANTICÆ ANNO M. DC. XC. VII.

ARGVMENTVM OPERIS.

PRæcoci properans motu, dirisque configens aculeis, multiplices è Primo Tomo Historiæ Sanctißimæ Deiparæ, elucubratæ, mediante (vt piè creditur) revelationis lumine, per V. Matrem de Agreda, Propositiones excerptas, Censura sub nomine Sacræ Facultatis Parisiensis est evulgata. Cum primùm huiusce hanccine Censuræ auscultavi nomenclaturam, in admirationem raptus, plura, plurima mente devolvens, mirabar. Mirabar celebertimum Parisiense Musæum Origine Verbiparæ Scholasticum candoris Antesignanum, Librum, qui mirificè ex Diuina revelatione origineam Mariæ Puritatem extollit, damnasse. Mirabar adversus deturpatores Marianæ laudis Sorbonicam Aulam, olim parmam victricem, modò Librum, in quo nihil, nisi Mariana laus, & Marianus honos, mediante revelationis lumine manifestus, deturpasse. Mirabar tot, tantosque Sapientißimos Doctores, variegatis totius Orbis cataphractos notitijs, aut latuisse, aut ipsos non perpendisse, Sanctum Inquisitionis Hispaniæ Tribunal talem Librum, haud perfunctoriè examinatum, sed quatuordecim annorum exacto examine, & recto, in quo gravißimi Universitatum Hispaniæ dixere Theologi, approbasse. Mirabar, quod Sacrosancta Sede Apostolica Tribunal obtinente institutum, & pro Ven. Matre aris quasi committenda solemnijs, & pro istius examine Libri, Universitas Parisiensis, se in hanccine Libri causam (iure Canonico, & Ciuili refragantibus) intromisserit. Hęccine, & alia miranda mirans, Censuram præ manibus habere inhiabam. Sed paucis labentibus diebus, iam Censura non desiderabatur. Illius igitur lectionem attentè fui exorsus. Doctrinam proditam Censurà, cum doctrina, vt in Scriptis V. Matris extat, æquiparavi. Sensum V. Matris paßim, & omninò à Censore extortum, textus paßim falsitatibus scatentes, paßim mutilatos, & truncatos, dolosèque coacervatos in vnum, qui in exemplari sunt disiuncti; fui demiratus. Propositiones alias Censuræ submissa cum Theologorum sententijs cultorum laudum Deiparæ, contuli. Doctrinam Angelici Præceptoris paßim confossam; doctrinam Seraphici Doctoris sæpè sæpiùs detrusam; plurimasque

pias, probabiles, imò communes, imò prorsus principijs cohærentes Fidei Theologorum Catholicorum sententias, præcipuè Eximij Doctoris Suarez, circa Sanctiss. Dei Genitricem, non sine ingenti admiratione conquassatas, vt temerarias, & scandalosas, prospexi. Expressas tandem Propositiones, & non semel concordem doctrinam SS. PP. venenatis falsitatis, temeritatis, & erroris aculeis vicissim confixas, maximè Magni Parentis Anselmi, Melliflui Parentis Sancti Bernardi, S. Ioannis Damasceni, S. Thomæ de Villanoua, S. Antonini de Florentia, S. Bernardini Senensis: imò Excelsi Parentis Augustini, intuitus sum ferè stupefactus. Hinc firmitèr mente tenens nomen Sacræ Facultatis Parisiensis esse simulatum, finem lectioni imposui ob multiplicem inhians calamo causam. Inhians calamo ad Vener. Abbatisæ de Agreda vindicandam doctrinam. Inhians calamo ad Verbiparæ præconia deturpata clariganda. Inhians denique calamo ad famam celeberrimæ vindicandam Universitatis Parisiensis, cui istam irrogare Censuram, vt effati sunt, quotquot Salmanticenses Doctores ipsam intuiti fuere, haud dumtaxat nefas, sed in Orbe piaculum. Hanc ergo in his vindicandis consectabor methodum. Tot Certamina apponam, quot Censura Articulos ingerit. Certamina in Propugnacula secernam. Et in plurimis, in quibus doctrina V. Matris, textus dumtaxat relatione vera, splendescit evidentèr incolumis, non statim Propugnaculum ad exitum perducam; sed verum textum Sanctorum testimonijs illustrabo Patrum in splendorem doctrinæ V. Matris, & præexcellentiarum Dei Genitricis. In obsequium prætereà Uniuersitatis Parisiensis, quod doctrina, adhuc vt extat in Censura conficta, non posset à tanta Universitate refigi, pluriés patefaciam: vnde ab irrogatione talis horrisonæ Censuræ eius luculentiùs vindicabitur fama: cuius vt me vindicem in quolibet Certamine ostendam, in cuiusvis Certaminis calce Corollaria apponam.

PALESTRA
APOLOGETICA MARIANA.
PRIMUM CERTAMEN.
REFERUNTUR PROPOSITIONES subiectæ Censuræ in Primo Art.

NUm. 9. Inducitur Deus ita de tempore, quo suum Unigenitum in mundum misit, loquens: *Misi tunc amore paterno salutem æternam, & remedium naturæ humanæ, ad ipsius infirmitates sanandas.*

Modò volo gratiam novam impertiri hominibus, quia tempus venit opportunum.

Ecce tempus, in quo misericordia mea magis elucescet, & in quo volo meum amorem magis activum esse: nunc cum mundus pervenit ad sæculum infelicius quocumque alio post Incarnationem Verbi: in quo homines tanto minus de suo bono agunt, quanto illud quærere maiori tenebantur ardore.

Volo ipsis ob oculos ponere speculum, in quo inspicere queant ingratitudinem suam, atque prodigia, quæ potestas mea operata est in hac creaturâ, Matre Filij mei Incarnati pro genere humano; quæ prodigia abscondita hucusque fuere ob iudicia mea arcana.

CENSURA.

S*I intendat Author in prædictis Propositionibus mysteria de Sanctissima Virgine sibi* (vt ait) *recens revelata comparare, & præferre Mysterio Incarnationis Verbi, & in illis Dei misericordiam maiorem, quam in isto eluxisse, amoremque eius magis operativum fuisse. Hæc doctrina falsa est, temeraria, scandalosa, & impia.*

Si verò tantum intendat gratiam, & beneficium prædictorum Mysteriorum sibi (vt ait) *recens revelatorum præferri debere omnibus gratijs,*

&

& beneficijs, quæ Deus à tempore Incarnationis hominibus contulit: hæc doctrina falsa est, temeraria, & scandalosa.

PROPUGNACULUM I.

DEMONSTRATVR SCRIPTA VENERABILIS *Matris sortiri non posse sensum intentum à Censura.*

Dictorum intelligentia, aut ex propositis, aut ex sequentibus spectetur; faxit Sanctus Hillarius lib. 9. de Trinit. prope finem. Si hoc Author Censuræ animadverteret, in Censuram adeò crassam non collimaret. Difficultas, si quæ sit, tota ad tertiam Propositionem devolvitur: ad hoc videlicèt, quod Venerabilis Mater Mysterium Incarnationis cum beneficio revelationis Mysteriorum Vitæ Deiparæ æquiparans, asseveraverit maiorem misericordiam esse revelare huic sæculo Mysteria Vitæ Deiparæ, quàm Verbum incarnasse: ita vt eius sensus fuerit Mysteria de Sanctissima Virgine Mysterio Incarnationis preferre, aut gratiam, & beneficium horum Mysteriorum omnibus gratijs, & beneficijs, quæ Deus hominibus à tempore Incarnationis contulit, anteponere: sed ex propositis, & ex sequentibus manifestè constat hunccine pravum sensum intentum haud potuisse esse à Venerabili Matre: ergo eius doctrina sortiri nequit sensum intentum à Censura.

Constat ex propositis: nàm antecedentèr ad talem Propositionem ita Deus de Incarnationis tempore loquens inducitur: *Et ad modum, quo tunc respexi tempus, in quo magis elucesceret misericordia mea, nunc volo impertiri aliam valdè magnam.* Sanè si vellet præferre Mysteria Vitæ Deiparæ, & horum beneficium Mysterio Incarnationis, & eius gratiæ, diceret aliam maiorem.

Rursus, vt evidentèr constabit ex toto contextu, ex maiore malitia, & oblivione sæculorum venatur, seu saltem exprimit magnitudinem misericordiæ divinæ, quod frequentissimum apud SS. PP. sed in antecedentibus dicit, quod sæculum Incarnationis erat in statu summæ oblivionis, & de nostro isto sæculo dumtaxat in communi profert, quod sit miserum, ait enim: *Nunc cum mundus pervenit ad tàm miserum sæculum post Incarnationem.* Ergo cum sentiat, sæculum Incarnationis fuisse in statu summi oblivionis, & consequentèr summæ malitiæ, sensus pijssimæ Authoris nequit esse, quod misericordia revelationis vitæ Deiparæ exclusivè ab ipso Mysterio Incarnationis sit maior, quàm misericordia de Incarnationis Mysterio; imò nec quod misericordia istius

sæ-

ſæculi excluſivè ab illa ſit maior illa. Tamen ex contextu duarum Propoſitionum amplius conſtabit, quàm inconſiderata proficiſcatur Cenſura.

De miſericordia Incarnationis ait omnium Author: *Et admodum quo tunc reſpexi tempus, in quo magis elucesceret mea miſericordia.* Poſteà agens de manifeſtatione Vitæ Deiparæ ſic inducitur loquens: *Vt hoc magis faciam, & quia hoc eſt tempus, in quo attributum miſericordiæ meæ amplius ſe manifeſtabit.* Hæc ſecunda Propoſitio eſt, quæ damnatur. Rogo: vel in prima Propoſitione eſt ſenſus comparativus abſolutè cum alio quocumque beneficio, aut myſterio, vel non? Si non: ergo neque in ſecunda Propoſitione erit ſenſus comparativus cum aliquo myſterio, aut beneficio, ſiquidem eadem eſt ratio, & conſequentèr ſenſus Cenſuræ ſubiectus eſt malignè, vt configatur confictus. Si autem eſt ſenſus comparativus in prima Propoſitione cum alio quocumque beneficio, aut myſterio: ergo conſtat ex illa, quod pijſsima Author Myſterium, & beneficium Incarnationis Miſterij Vitæ Deiparæ, & beneficio revelationis eorum præferat: ergo cum poſteà Propoſitio ſecunda non nominet Myſterium Incarnationis, haud debet intelligi, ita vt præferat Myſteria Deiparæ, aut beneficium revelationis eorum Myſterio Incarnationis, aut beneficijs collatis poſt ipſum. Patet hoc, quia ne evidentèr contradictorietur, aut neutra Propoſitio eſt intelligenda in ſenſu comparativo relato, cum iſte non ſit expreſſus; aut ſecunda debet intelligi in alio ſenſu ex multis, qui poſſunt ei adaptari: & præcipuè cum ipſa fateatur Cenſura, quod vt eam inducat in talem ſenſum, intentionem pijſsimæ Authoris divinat per hæc verba: *Si intendat hoc, ſi verò intendat aliud.* Meminerit Author Cenſuræ, quod Pſalm. 7. *Scrutans corda Deus.*

Conſtat deinde minor principalis ex ſequentibus: nàm in fine iſtius numeri dicitur de Maria Sanctiſsima, quod ſit *pura creatura*, & in numero ſequenti prope initium dicitur de Verbo Incarnato, quod *ſit Verbum humanatum*, & anteà in præſenti numero nono propè finem habetur, quod *Virgo in ſuis viſceribus dedit vitam mortalem immortali.* In his evidentèr ſupponitur: Verbum, quod carnem aſſumpſit, eſſe Divinum, eſſe Deum; ſi ergo Venerabilis Mater fatetur Verbum Incarnatum eſſe Deum, & Mariam puram creaturam, ſufficientiſsimè præfert Myſterium Incarnationis omnibus alijs Myſterijs Deiparæ, & conſequentèr beneficium Incarnationis Verbi beneficio revelandi vitam Mariæ puræ creaturæ.

Sanè ſi Author Cenſuræ decurreret, quæ paſsim dicuntur in ſequentibus numeris Primæ Partis, Secundamque, & Tertiam Partem

lege-

legerét, omnem prorſus protelaret difficultatem; gratis dato; quod hic ſenſus Propoſitionis, confixæ Cenſura, eſſet obſcurus; nam in 3. part. num. 762. ait: *Et etiam anima Sanctiſsima Ieſu Chriſti excedit vltra omnem menſuram dotes Matris ſuæ.* Hæc, & ſimilia paſsim in eius ſcriptis deguntur. Quomodo igitur hic cenſendum, quod anteponat Myſteria Vitæ Deiparæ Myſterijs Ieſu Chriſti? Sed vt nulla remaneat difficultas, legatur in 2. part. num. 136. ait enim ibi expreſsè Vener. Mater: *Inter opera Omnipotentiæ ad extra maius, & excellentius opus fuit Myſterium Incarnationis.* Legatur in 1. part. num. 259. dicit enim ibi: *inter omnes gratias, & beneficia maior gratia fuit Incarnatio ſimul cum morte Domini noſtri pro nobis.* Et ſubdit: *Quia in hoc beneficio verus Dominus totum ſe contulit nobis, impetu Divinitatis perveniente vſque ad vnionem cum noſtra natura humana.* Quid luculentiùs ad omnem difficultatem fugandam? Dato quod in præſenti numero ſenſus eſſet obſcurus, hi contextus ſuperabundarent vt doctrina piiſsimæ Authoris immunis prorſus ab aculeo venenato præſentis Cenſuræ evaderet. Conſtet ergo, quod ſenſus ſubiectus Cenſuræ eſt ſimulatus, non à Vener. Matre intentus; ſed licèt eius ſcriptis repugnans, vt iacent; tamen malignè vt configeretur Cenſura, violentèr ei adaptatus.

PROPUGNACULUM II.

DEMONSTRATVR, ET DEFENDITVR GENVINVS *ſenſus doctrinæ Venerabilis Matris.*

IN libris revelationum examinandis non extorquendus Propoſitionum ſenſus, ſed piè, & modeſtè venandus. Hoc ſapientiſsimè docet Card. Turrecremata in Prologo ad revelationes Sanctæ Brigittæ per hæc verba: *Planè, & omnes, & ſingulos articulos accurato ſatis ſtudio iuxta vires meas examinavi, & nullum* [illegible] *piè, &* [illegible]*sè intellectum* (nota hæc verba) *reperiens Sacræ Scripturæ, & SS. PP. adverſum ſententijs, ſed conſonum, & conformem ſatis, reputo vnumquemque, & omnes eos iuxta eorum modeſtiam, & piam intelligentiam eſſe admittendos, & poſſe legi in Eccleſia Sancta Dei, eo modo, quo multorum aliorum DD. libri, & SS. Hiſtoria, & legenda licenciantur legi fidelibus.* Hæc Card. Turrecrem.

Sed quomodo vſus eſt hac regula Author Cenſuræ? O bone Deus! Non ſolum pium aucupari Propoſitionum recuſavit ſenſum; ſed vbi doctrina erat prorſus à Cenſura immunis, commentitiam appoſuit, vt obti-

obtineret quid damnaret. Author pijssima refert, quod Deus alloquens ipsam, vt Historiam Deiparæ scriberet, hæccine protulerit verba fidelissimè Latino Idiomate donata: *Et quia hoc est tempus, in quo attributum meæ misericordiæ amplius se manifestabit; & in quo nolo amorem meum stare otiosum; nunc cum mundus pervenit ad tàm infelicem statum post Incarnationem Verbi, &c.* Author verò Censuræ sic confingit: *Ecce tempus, in quo misericordia mea magis elucescet, & in quo volo meum amorem magis operativum esse, nunc cum mundus pervenit ad sæculum infelicius quocumque alio post Incarnationem Verbi.* In hisce plura simulantur, videlicèt: *misericordia::::magis elucescet:::: sæculum infelicius::::amorem magis operativum esse.* Hæc, licèt adhuc sic simulata non efficiant sensum, quem Censura conatur, longè tamē exhibent diversum ab illo, quem intendunt verba V. Matris, qui ita est obvius, clarus, & securus, vt credam nullum eius valeat immunitatem in dubium revocare.

Igitur, si quæ foret difficultas, sisteret in enodando huiusce Propositionis sensum: *Hoc est tempus, in quo attributum misericordiæ meæ ampliùs se manifestabit.* Hæc Propósitio ponitur tanquam causa saltim partialis manifestandi Vitam Deiparæ, & illius immunitas manifestè constabit, si vera possit esse independentèr ab hac manifestatione. Rogo igitur, si quis diceret, *Hoc est tempus, in quo misericordia Dei magis se manifestat.* Hæc Propositio censebitur scandalosa, impia, & hæretica? Sanè si modò magis extensa sit doctrina cœlestis, cum per istam doctrinam cognoscantur beneficia Dei, misericordia Divina erit magis manifesta; ergo, aut concedendum, quod misericordia Dei sit magis manifesta in his temporibus, aut negandum, quod doctrina cœlestis sit magis extensa; quod minimè quadrat S. Leoni Serm. 18. de Passioni, vbi ait: *Indulgentius nobiscum egit doctrina cœlestis, quos in hæc mundi tempora distulit ad intelligentiæ facultatem, vt multò pluribus, quam priores, & vatibus vteremur, & testibus.* Nunquid in hoc sæculo non extenditur aliquo modo fides? Non perfunditur hoc sæculum copiosiori circa res fidei, & pietatis lumine, nec non copiosiori multitudine Prædicatorum? Quod ergo obstat, cum hoc non obstante mundus scateat vitijs, quod dicatur misericordiam Divinam magis se manifestare, imò & amplius in ipso elucescere? Quis existimavit, quod hæc locutio sit præferre beneficium maioris multitudinis Prædicatorum, & copiosioris luminis circa res fidei Mysterio Incarnationis, aut omnibus beneficijs, quæ Deus à tempore ipsius contulit hominibus? Nullus sanæ mentis. Si ergo in hoc sensu potest dici, quod misericordia Dei in hisce temporibus magis se manifestat; quid si accedat Mysteriorum eximiorum Vitæ Deiparæ plenissima notitia, facta pijssimæ

Authori per revelationis lumen: vt eam pijs Deiparæ Cultoribus propinet?

Igitur aliud est, quod opus misericordiæ sit maius, & aliud, quod attributum misericordiæ amplius se manifestet. Vener. Abbatissa de Agreda non asserit primum in hoc sæculo, sed secundum. Sanè beneficium Incarnationis idem est formalissimè semper; sed quis neget, quod hoc opus misericordiæ peccatoribus collatum, occultum, cum factum sit in hisce sæculis manifestius? Quid ergo vetat, quod Deus revelaverit Vener. Matri opera misericordiæ facta in sæculis prioribus, magis manifestanda istis deperditissimis sæculis, vt homines agnoscant sui animi ingrati crimen; ideoque revelare ipsi Historiam Verbiparæ, in qua (vt ipsa faxit in introductione 2. part. num. 32. *Secunda pars claudit vitam Reginæ Angelorum à Mysterio Incarnationis vsque ad Ascensionem Domini super omnes Cælos, quod est maius, & præcipuum huiusce Divinæ Historiæ, quia amplectitur totalitèr Vitam, & Mysteria ipsius Domini simul cum Passione, & Morte sacratissima*? Sanè circa opus misericordiæ Incarnationis, Passionis, & omnium Mysteriorum Christi, quæ veneratur Ecclesia, plura continentur in tali Historia, hucusque abscondita: vt constabit legenti 1. & 2. partem: deinde longè plurima manifestantur arcana de Deipara; si ergo Deus hæc omnia manifestat amanti, & humillimæ Sponsæ, vt ipsa fidelibus manifestet, dummodò hoc effectum consequatur, quis neget, quod attributum Divinæ misericordiæ magis in hoc sæculo, quàm in prioribus se manifestet?

Hunc igitur existimo esse sensum Vener. Matris, videlicèt: misericordia Dei in hoc sæculo magis se manifestabit, quia si Deus revelavit ipsi plura, imò plurima, imò maxima circa Mysterium Incarnationis, & Passionis, & circa alia beneficia Divinæ misericordiæ, hucusque arcana; ex parte Dei loquentis, verissimum erat dicere: *In hoc beneficio attributum meæ misericordiæ amplius se manifestabit.* Quę locutio ita est irreprehensibilis, ac dicere, quod per talem Historiam plurima beneficia misericordiæ Divinæ, hucusque abscondita, fuere revelata. Et sicut notitia de beneficio Incarnationis, & de beneficio Passionis magis nota fuit post ipsam Incarnationem, & Passionem, quàm ipsomet tempore, in quo hæc beneficia fuere facta; & in posterioribus sæculis, quàm in prioribus, iuxta extensionem legis Evangelicæ; sic servatis servandis, ex suppositione istius operis verè revelati, est verum dicere, quod est magis manifesta Divina misericordia; quia in hoc opere plurima ex suis beneficijs hucusque absconditis revelat, & consequentèr manifestat. Perpendatur hic sensus, & conferatur

cum

cum notitia Mysterij Incarnationis facta Magis, & Pastoribus, posteà extensa ad Apostolos, & Discipulos, deinde per Apostolos manifesta fidelibus, auctaque per alios Divini Verbi præcones, &c. In quolibet enim statu esset verum dicere, quod attributum Divinæ misericordiæ circa beneficium Incarnationis (& idem de Passione, & de alijs beneficijs revelatis) erat magis manifestum. Et si hoc est verum dicere circa extensionem notitiæ eiusdem beneficij: quanto magis, cum aggregantur notitiæ aliorum Divinæ misericordiæ beneficiorum.

Deinde sit sensus Propositionis Vener. Matris, quod ob revelationem Mysteriorum Vitæ Deiparæ attributum Divinę misericordiæ amplius se manifestet. Hæc vox Hispanica *mas* in hac dictione: *Mas se ha de manifestar*, potest exponi Latinè per ly *amplius*, & per ly *magis*. Ly amplius denotat extensionem, in quo sensu, si exercitui maximo adveniant decem milites, dicitur Hispanicè: *Al exercito le vinieron mas Soldados*. Non quia advenerit maior numerus, numero anteà existente, sed quia additi aliqui milites. Explicetur ergo Propositio per ly *amplius*, de quo profert Calepinus, quod aliquoties sumitur pro *præterea*. In hoc sensu, si misericordiæ Incarnationis, & Passionis, & omnium Mysteriorum, quæ reveretur Ecclesia, additur misericordia, & beneficium revelandi plura Mysteria abscondita Vitæ Deiparæ, quid evidentius, quàm quod hæc Propositio erit verissimà extensivè: *Misericordia Dei amplius elucescit*. Hoc est: opus misericordiæ fit maius. Sanè hoc non minus erit verum, quàm dicere, quod qualitas vt quatuor, si addantur ei duo gradus extensionis, amplius extenditur: & quod si exercitui numeroso addantur decem milites, fit maior, & demùm quàm quod totum est maius sua parte.

Admisso igitur, quod Vener. Mater induceret Deum dicentem: *Ecce tempus, in quo misericordia mea magis elucescet*. Adhuc Propositio esset prorsus immunis à Censura; quia illa vox Hispanica *mas*, quam explicat Author Censuræ per ly *magis* deberet explicari per ly *amplius* non comparativè, sed extensivè, & accumulativè. Et ratio est duplex. Prima, quia cum vtroque modò posset explicari, iuxta regulam supra datam Card. Turrecrem. piè, & modestè est intelligenda Propositio, & consequentèr explicanda per ly *amplius*. Secunda, & evidens, quia cum in alijs locis, vt constat ex supradictis, asserat expressè Ven. Mater, quod *inter omnia opera ad extra Mysterium Incarnationis est maius absolutè opus, maius beneficium, & maior gratia*, non debet censeri, quod in præsenti contradictorietur, asserens oppositum; & consequentèr Propositio non debet explicari per ly *magis*. Et quia ex contextibus fit maximè evidens immunitas doctrinæ præsentis numeri, alium con-

contextum addo; legatur in 2. part. num. 70. ibi enim ad miraculum explicat, eminentiam Mysterij Incarnationis super omnia Mysteria, opera, & beneficia Dei ad extra, asserens, quod omnia alia opera, & beneficia *Sunt tanquam exigua scintilla emissa ab immenso Diuinitatis abisso respectu istius Mysterij*, & posteà subdit, quod *hoc mysterium est illud opus magnum totius Omnipotentiæ, & Sapientiæ infinitæ, quod superat vltra omnem mensuram reliqua opera, & prodigia brachij Omnipotentis.*

His suppositis, Propositio Ven. Matris præcisè esset explicanda per *ly amplius*, & intelligenda ita vt sensus sit: Eccè tempus, in quo misericordia mea magis elucescet, hoc est, extensivè, & cumulativè amplius elucescet: idest, fiet maior quatenus eius opus, & beneficium fiet maius extensivè, & accumulativè. Hic autem sensus irreprehensibilis est, siquidem in SS. PP. frequentissimus. Sic fuit locutus Diu. Chrysol. serm. 93. vbi ad illa verba, *Mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix*, ait: *Exaggerat Evangelista mulieris facinus, vt accumulet indulgentiam largitoris.* Et S. Bernard. serm. contra pessimum vitium ingratitudinis, postquam edisseruit valdè magnam esse misericordiam Dei in nostra conversione, subdit: *Iam vero si quis ex vobis diligentèr considerare non negligat, non modo vnde sit erutus, sed vbi sit constitutus; non solum quid evaserit, sed & quid acceperit; non tantum vnde revocatus sit, sed etiam quo vocatus, inveniet sine dubio cumulum huius misericordiæ omninò mensura prioris excedere quantitatem.* Ita passim alij SS. PP.

Rursus demus gratis, quod sensus sit comparativus inter beneficium manifestationis huiusce Diuinæ Historiæ in hoc sæculo, & beneficium manifestationis Mysterij Incarnationis in sęculo, in quo fuit factum: sanè Propositio duplicem sortitur sensum omninò irreprehensibilem: nàm si verba Ven. Matris fidelitèr referantur, ita vt dicat Deus: *Hoc est tempus, in quo attributum meæ misericordiæ magis se manifestabit.* Sensus erit, quod in manifestatione istius operis, in quo revelat Ven. Matri Mysterium Incarnationis, Passionis, & omnia Mysteria Christi, & Mariæ, quæ de fide tenet Ecclesia; & deindè plurima, & eximia hucusque abscondita circa Christum, & Mariam, attributum Diuinæ Misericordiæ magis se manifestat, quàm se manifestavit in solo Mysterio Incarnationis. Quia manifestatio Incarnationis, Passionis, & aliorum plurimorum Mysteriorum absconditorum, maior est neçessario, quàm sola manifestatio Incarnationis, sicut est evidens, quod totum, seu aggregatum, est maius sua parte adhùc principalissima. Et sensus absolutè erit, quod plura beneficia

Di-

Diuinæ Misericordiæ manifestantur in hoc opere, quæ in sæculo Incarnationis non fuere manifesta fidelibus, quod est verissimum, cum in hac Historia manifestentur plurima opera Dei hucusque arcana, & in omni opere Dei ad extra concurrat Diuina Misericordia, vt docet D. Thom. 1. part. quęst. 21. art. 4. & in 4. dist. 46. art. 2. quęst. 1. & Doct. Subtil. ibid. q. 4. num. 2. quod deducitur ex Psalm. 24. *Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas.*

Si autem explicetur Propositio in sensu intento ab Authore Censurę, ita vt Deus dicat: *Misericordia mea magis elucescet*: & sensus sit, quod ratione istius reuelationis Historia Deiparæ opus misericordiæ maius sit in hoc sæculo, quàm in Mysterio Incarnationis, adhuc doctrina deberet censeri immunis, quia ratione contextuum non posset intelligi, nisi in sensu inclusiuo, ita vt sensus esset, quod misericordia huius sæculi, quæ includit beneficium Incarnationis, & Passionis, & deinde beneficium reuelationis istius Historiæ, vt est aggregatum ex omnibus his beneficijs, est maius beneficium, maior misericordia, & maius opus Dei extensiuè, quàm solum opus, & beneficium Incarnationis, sicut totum, includens omnes suas partes, dicitur maius quacumque parte inclusa.

Postremò admisso, quod Ven. Mater dixisset, quod hoc sæculum est infelicius post Incarnationem, etiam sensus V. Matris est irreprehensibilis. Pro quo notà, quod misericordia, licèt vt docet Damasc. lib. 2. cap. 13. in nobis sit *Compassio de malo alieno*: tamen in Deo non ponitur, nisi vt dicit nolitionem miseriæ, vt docent D. Thom. 2. 2. quæst. 30. art. 2. D. Bonauent. in 4. dist. 46. q. 1. & expressius Scot. ibidem, quæst. 2. num. 2. vbi etiam docet num. 3. *Quod misericordia Dei est duplex, alia liberans, & alia parcens.* His suppositis, sensus V. Matris foret quod misericordia Dei in hoc sæculo magis elucescet: quia cum maioritas misericordiæ attendatur iuxta frequentem locutionem PP. penes maiorem miseriam, si hoc sæculum sit magis miserum, & infelicius quocumque alio post Incarnationem, misericordia, qua Deus, hoc non obstante, vult liberare homines, & parcere ipsis, ob quod reuelat hanc historiam Deiparæ, vt homines ob oculos habeant speculum, in quo videant sui ingrati animi crimen, & in quo agnoscant Deiparam esse IanuamCœli, vt ad ipsam confugiant, & pœnitentiam agant: absque dubio poterit dici maior misericordia, & maius opus misericordiæ Diuinæ: non quia beneficium huius reuelationis sit secundum se maius omnibus alijs beneficijs; sed quia, vt respicit infelicius sæculum, licèt in se non sit maius, ratione maioris indignitatis, aut miseriæ hominum, dicitur maior misericordia, & beneficium.

Hic sensus perpendendus est: licèt enim V. Mater non dicat expresse, quod hoc sæculum sit infelicius, sed quod pervenerit ad *Tam infelicem statum post Incarnationem*; tamen, quia in sequentibus maximè explicat, & extollit miseriam, vitia, & peccata huius sæculi, optimè censeri potest, quod ipsa senserit hoc sæculum pervenisse ad statum deperditissimum, magis miserum, ideòque magis infelicem quocumque alio post Incarnationem: vnde valdè quadrat eius menti: vt autem constet quàm irreprehensibilis sit, simili locutione SS. PP. comprobandus. In primis adest S. Bernard. de primord. med. & nouiss. nostr. serm. ait enim: *Peccata aliqua minima sunt, alia magna, alia mediocria, & propterea egent triplici misericordia, parva, mediocri, & magna.* Ergò si in hoc sæculo peccata sint maiora, quàm in alio quocumque post Incarnationem, misericordia Dei parcens, & liberans, erit maior in hoc sæculo, quàm in quocumque alio post Incarnationem.

Quod autem in hoc deperditissimo sæculo peccata populi Christiani sint maiora, quàm in alio quocumque post Incarnationem quis improbabit? Tot vitia, tot ambitiones, tanta oblivio Dei post tot beneficia à Deo collata, vsque quo non extollunt nostri animi ingrati crimen? O quàm altè perpendit in præsenti numero V. Mater! In tanto numero hominum huiusce sæculi forte longè maiori, quàm in prioribus, quis improbabit maiorum peccatorum multitudinem? In maiori autem multitudine peccatorum ibi magis resplendet Diuina Misericordia, vt ex D. Chrisolog. serm. 30. dissertè ostendit Sylveir. tom. 2. lib. 4. cap. 27. quæst. 8. num. 44. & ex ipso Chrysolog. serm. 39. Tertullianoque lib. de resurrect. carn. cap. 9. in 3. tom. lib. 5. cap. 15. q. 5. num. 36. vbi post multa concludit: *Ergo quanto magis excrescit nostra miseria, ac delictorum enormitas, tanto magis in eis demittendis nitet, & resplendet Dei pietas, ac benignitas; quod frequentissimum est apud PP.* Cur ergo damnanda doctrina V. Matris in sensu frequentissimo PP. loquentis? Maneat ergo pro comperto, quod Propositio pijssimæ Authoris continet doctrinam piam, sanctam, & veram, ita vt iuxta genuinas expositiones datas possit dici, quod in illa Propositione, quæ agit de misericordia: *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi.*

COROLLARIA.

Ex his colliges, quod hæc Censura favet hæreticis per illum inauditum modum damnandi, *Si intendat hoc, si verò intendat aliud.* Hoc enim modo plurima Scripturæ Sacræ refigi poterunt. Petatur exemplum ad 8. Proverb. Inducitur Sapientia Divina lo-

quens

quens: *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* Si intendat Salomon quod Sapientia Divina concepta sit per seminalem propagationem, hæc doctrina est erronea, & hæretica: si verò tantum intendat, quod ante abyssum sit producta, ita vt non sit ab æterno, hæc doctrina etiam est hæretica, & erronea. Si dicat Author Censuræ, quod Salomon intendit aliud, cur non posuit in sua Censura, quod si Author pijssima non intendat primum, nec secundum, eius doctrina censenda erit pijssima, vera, & sancta?

Colliges deinde quàm detestanda sit Censura. Primò, quia Propositiones seorsim iacentes in textu, vt ex illis pravus resultaret sensus, collegit in vnum, quo artificio haud difficili damnare doctrinam cuiuscumque probati Authoris, & nisi molestum esset exemplum, ederem in doctrina, quæ habetur in Præfatione ad Censuram. Secundo quia Author Censuræ plura confingit, quæ pijssima Author non somniavit, vt illud: *Volo amorem meum magis operativum esse.*

Colliges tandem incredibile esse nomen Sacræ Facultatis Parisiensis non forè in hac Censura ementitum. Quis enim credet, quod Vniversitas tanta, fulgoribus sapientiæ vbique terrarum notissima, in Propositione, cui tàm multiplex sensus securus adaptari posset, casu quo sensus obscurus esset, penderet animi? Quis credet, quod fingeret doctrinam vt eam configeret? Ego sanè de Lycæo tanto ita sentire haud possim?

CERTAMEN SECUNDUM.

REFERVNTVR PROPOSITIONES subiectæ Censuræ in secundo Art.

NUm. 10. inducitur Deus loquens: *Non manifestavi hæc mirabilia in primitiva Ecclesia, quia continent mysteria adeò alta, adeòque sublimia, vt fideles in illis scrutandis, & admirandis detenti fuissent, cum necesse erat legem gratiæ, Evangeliumque stabilire. Et quamquam id totum compossibile erat, attamen intellectus humanus ignorantia oppletus, pati poterat nonnihil turbationis, & hæsitationis, quia fides Incarnationis, & Redemptionis adhuc erat debilis, atque præcepta novæ legis erant quasi in cunabulis, propterea Verbum factum homo dixit Discipulis suis in vltima cœna: Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modò.*

Ibidem inducitur Deus posteà dicens: *Hominibus propono hanc Mysticam Civitatem refugij factam descriptivè, & relatam eo modò, quo tua* de-

debilitas præstabit. Nolo eam spectari ab hominibus tanquam opiniones, aut simplices visiones; sed tanquam constantem, & infallibilem veritatem.

CENSURA.

HÆ Propositiones, quibus Author asserit veritates sibi fuisse revelatas ipsis prioribus Ecclesiæ sæculis incognitas: imò & de ipsarum numero, quas Apostoli ipsi portare non poterant, easque tanquam constantes, & infallibiles fidelibus proponit, falsæ sunt; temerariæ, scandalosæ, fanaticis, & hæreticis favent, ad omnes novitates viam aperiunt, & Ecclesiæ auctoritati derogant, ad quam pertinet fidelibus proponere veritates tanquam constantes, & infallibiles ex Verbo Dei scripto, vel non scripto per Apostolos ad nos transmisso.

NOTA.

DOctrina confixa Censura, vt confixa Censura, tres continet Propositiones. Prima, quod *Vener. Mater asseruerit veritates fuisse sibi revelatas, ipsis prioribus Ecclesiæ sæculis occultas*. Secunda, quod *tales veritates sint de numero ipsarum, quæ Apostoli ipsi portare non poterant*. Tertia, quod *eas proponat tanquam constantes, & infallibiles fidelibus*. Harum trium Propositionum, vt extant in scriptis Vener. Matris per tria Propugnacula sequentia immunitas manifestè dilucidabitur.

PROPUGNACULUM I.

DEMONSTRATVR QVOD DAMNARE PRIMAM Propositionem, est opponi vniversali calculo Theologorum, & deinde PP. Concilijs, Pontificibus, & Ecclesiæ.

ASSumptum demonstro. Vel censet Author Censuræ, quod nequeunt esse veritates de novo privatè revelatæ in Ecclesia, vel censet quod possunt esse? Si teneat secundum, nullatenus potest damnare Vener. Matrem ex eo, quod asseruerit aliquas veritates fuisse sibi revelatas, ipsis prioribus sæculis Ecclesiæ occultas: cum ipse non probet has veritates tales non esse, quia contrarias, aut Ecclesiæ, aut SS. PP. & antequam perscrutetur ex virtutibus, & miraculis Ven. Matris, an ipsius vita indicat piam credulitatem earum, vel non? Alitèr enim quælibet revelatio posset respui præcisè, quia nova, & deinde non poterit dari nova revelatio in Ecclesia, aliàs ex eo præcisè, quod esset nova, non posset repelli.

Deinde non possent subsistere revelationes Sanctę Brigittæ multifariam examinatæ, non solum multiplici Synodo Episcoporum, sed etiam ex triplici iussu Summorum Pontificum, Gregorij XI. Urbani VI. & Bonifacij IX. vt constat ex Apologia Card. Turrecrem. cap. 1. Unde & etiam ex Prologo, quem Typis commisit Alphonsus ab Hispania Episcopus, ad lib. 8. prædictarum revelat. cap. 6. constat eas fuisse approbatas in omnibus his perscrutationibus, sicut & quod etiam fuerint examinatæ, & approbatæ iussu Concilij Basil. sub Eug. IV. Tandem subsistere haud possent revelationes Angelæ de Fulgino, S. Catharinæ Senens. S. Theresiæ à Iesu, S. Gertrudis, & sic de alijs: siquidem hæ omnes revelationes, quæque in suo sæculo, præcisè, quia novæ essent, relegandæ

Igitur, vt Author Censurę damnet Vener. Matrem ex eo pręcisè, quod asseruerit: *Veritates prioribus Ecclesiæ sæculis absconditas, fuisse sibi revelatas.* Debet censere revelationes privatas neutiquam subsistere posse modò in Ecclesia. Hoc autem est falsum, & absoluiè contrà Theologorum vniversalem consensum. Falsum, quia nullatenus assignari repugnantia potest: Unde hoc prorsus temerariè absque vllo fundamento assereretur. Et vt verbis vtar Sapientis. Gersonis Cancellarij Parisiensis tract. de verar. dist. à fals. Alph. 19. litt. M. *Videbimur infirmare auctoritatem Divinæ revelationis, quæ nunc, sicut olim potens est: neque enim manus eius abbreviata est, vt revelare non posset. Scandalizabimus prætereà simplices, dicentes & quod ita de nostris revelationibus, & profetijs poterunt esse calumniæ.*

Est contrà omnes Theologos tàm Scholasticos, quàm Mysticos, qui de haccine tractavere materia. Cōtrà Scholasticos, quia omnes vniversalitèr in materia de fide, vel asserunt, vel evidentèr supponunt revelationes privatas dari posse; distinguētes revelationem geminam, privatā vnam, & publicam aliam; sectantes Sanctum, & verè Angelicum Præceptorem, Doctoremque Seraphicum S. Bonaventuram, qui hoc, vt indubitabile, pluribus in locis supponunt. D. Thom. 2. 2. quæst. 171. D. Bonav. in 3. dist. 3. art. 1. quæst. 1. ad 4. quod amplius exprimit Angelicus Præceptor loco laudato, quæst. 174. art. 6. & Eximius Suar. de fide, disp. 3. Serm. 10. contrà Theologos Mistic. quia omnes de discretione spirituum, & distinctione verarum revelationum à falsis peragentes, aut asserunt, aut evidentèr supponunt posse modò dari revelationes privatas de rebus ipsis prioribus Ecclesiæ sæculis occultis, ad hærentes Seraphico D. in Theologia Mistic. & de profectu Relig. lib. 2. cap. 75. S. Vincent Ferrar. tract. de Vita Spirit. c. 1 s. S. Ioanni à Cruce in ascensu ad Mont. Carmel. cap. 19. & seq. Sapientissimo Gersoni tract. distinct. verar. revelat. à falsis, & alijs,

quos

quorum numerum recensere prolixum. Videatur Martinus del Rio lib. 4. de Disquisit. Magic. cap. 1. q. 3. & noster Andreas à Guadalupe in Theolog. Mistic. tract. 3.

Est prætereà contrà SS. PP. satis sit adducere S. Irenæum lib. 2. adversus Hæreses cap. 51. vbi ait: *Alij autem, & præscientiam habent futurorum, & visiones, & dictiones propheticas.* Et S. Iustinum in Dialog. *Apud nos hucusque etiam prophetica extant dona, vnde & vos debetis intelligere, quæ olim in genere vestro fuere* (loquitur adversus Iudæos) *in nos esse translata.* Modus autem, quo perseveret spiritus propheticæ in hisce sæculis, cum non sit ita frequens, ac in prioribus sæculis Ecclesiæ, optimè enodatus est à Doctissim. Cornel. à Lap. in epist. 1. ad Corinth. cap. 14. vbi faxit: *Eorum enim donorum frequentia, quæ miraculo homini contingebant, qualia erant loqui linguis, prophetare, & similia, ferè cum Apostolis finem accepit, scilicèt vt promiscuè iam illa non dentur, vti tunc dabantur, sed tantum paucis, & raris.*

Est deinde contrà Concilia, quatenus ista supponunt posse dari revelationes privatas, quod manifestè supponit Concilium Lateran. sub Leon. X. sess. 11. Concilium Basiliense pariformitèr, quatenus eius iussu examinatæ, & approbatæ fuere revelationes Sanctæ Brigittæ, vt constat ex supradictis. Concilium Trident. hoc supponit manifestè sess. 6. cap. 12. & can. 16. Quòd autem sit contrà Summos Pontifices, constat ex Breviario Romano: ex quo liquet passim in festis SS. Pontifices Summos approbare revelationes, & vrgentèr ex Bulla Canonizationis Sanctæ Brigittæ per Bonifacium IX. confirmatam à Martino V. vbi dicitur: *Hæc generosa Vidua per gratiam Spiritus Sancti promeruit :::: visiones, & revelationes videre, & audire.* Ex his satis constat prædictam Censuram in sensu, in quo progredimur, opponi Ecclesiæ: quod vlterius roboratur ex eo, quod ipsa Vniversalis Ecclesia præcipiat nobis, vt in oratione officij S. Brigittæ propallemus: *B. Brigittæ per filium tuum vnigenitum secreta cœlestia revelasti.*

Hæcci peregi diffusè, quia ex his valdè materia ista dependet. Dicat ergo Author Censuræ, his visis, ausus erit damnare, quod in sæculo præsenti dentur aliquæ revelationes privatæ in singularis aliqua persona virtutis? Quomodo ergo ausus fuit damnare, quod Vener. Abbatissa de Agreda asseruerit veritates aliquas hucusque reconditas fuisse, sibi Divina Misericordia revelatas? Liberum foret Authori Censuræ revelationibus haud assentiri, sed temerarium absque examine vitæ, virtutum, & miraculorum Pijssimæ Authoris revelationes, dumtaxat, quia novas damnare.

Quid dicet? Quid Author repondebit Censuræ? Si respuit has revelationes, quia factas Mulieri, Theodoretum auscultet, quæst. 11.

in lib. Iudic. *Mulier prophetizat, quia virorum, ac mulierum eadem est natura.* Scripturam consulat sacram, adinveniet mulieres Prophetissas, Annam, Devoram, & c. Forsan ausus erit dicere, quod licèt possint dari revelationes privatæ circa mores dirigendos, non tamen de mysterijs, licèt pertinentibus ad Dei Genitricem. Sed rogo, si non repugnat primum, secundum vnde repugnat? Nunquid Deus asserendus inferioris potentiæ erga Matrem suam? Rursus Mysterium Conceptionis non fuit revelatum B. Brigittæ, & anteà multis occultum, vt ipsa Dei Genitrix dixit eidem Sanctæ Brigittæ lib. 6. revelat. cap. 55? Non comprobatur ex alijs revelationibus benè multis, vt videre est apud Ægidium de Præsent. lib. 3. de Concept. quæst. 6. §. 1. Quem & alios plures citat, & sectatur Armamentarium Seraph. in regesto col. 40? Pariformitèr Assumptio B. Mariæ in Cœlum secundum corpus, & animam non fuit plurimis incognita, & tamen alijs revelata, quorum numeri est S. Brigitta, vt constat ex eodem libro, cap. 61? Deinde in primitivis Legis Evangelicæ temporibus non plura encomia Deiparæ fuere silentio commissa, in sæculis posterioribus Viris provitate coruscis revelata? Sanè longum esset recensere. Postremò quidquid sit de hoc, vt omnis ruat Aristarchi quærimonia, omnes præcellentię Verbiparę in haccine revelatę Historia Vener. Abbatissę de Agreda, diriguntur ad salutem fidelium, ad moresque eorum restringendos pravos, vt manifestè constat ex doctrina, quę passim prębet Regina Cœlorum Vener. Abbatissę, & manifestè ex locutione Dei ad ipsam 1. part. num. 9. Ex quo constat, quod scopus huius revelationis est directio hominum, vt ad Dei Genitricem confugiant, tanquam ad Ianuam Cœli, & pravos coerceant mores.

Sed accipe pręterea non exilem Authorum seriem in singula sęcula plura revelanda de Sanctissima Deipara asserentium. Expressus adest Petrus Celensis lib. 9. epist. cap. 10. *Credo, & confiteor* (ait) *plura esse apud nos ignota de Virgine Sacrosancta, quam nota, & hoc ipsum revelabit Deus, quando voluerit, & quomodo voluerit.* Consonant Ricard. à Sanct. Laurent. lib. 4. de Laud. Virg. in illa Verba: *Beatam me dicent omnes generationes.* Ait enim: *Ipse, qui antiquis inspiravit, vt de Matre sua gloriosa, sub enigmatibus prædiceret, ipse, & quosdam Modernos illustrat, atque etiam vsque ad finem mundi semper aliquos illustrabit, vt Deiparæ præconio nova semper aliqua superaddant.* Gerson. celeberrimus Doctor Parisiensis iam laudatus, part. 1. Serm. de Conceptione: *In cognitione eorum, quæ ad Deiparam spectant, Ecclesiam maiores in dies progressus fuisse, mihi compertum est. Constat enim antiquitatem multa Sanctissimæ Virginis encomia, aut prorsus ignorasse, aut minus rectè caluisse, quæ hodie Ecclesia novà luce perfusa, piè complectitur: ita vt pu-*

 tem

tem id sibi Virginem divinasse, cum in domo Zachariæ ita cecinit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*: *quod quidem ita accipiendum est, vt succedentes generationes, non modò acceptas à prioribus laudes Virginis celebrarent, sed etiam illas novis accessionibus augerent, & cumularent*. Ambrosius Catherinus Archiepisc. disp. pro Conceptione, expugnat. 4. aciei: *Ego enim, non in hoc privilegio* (videlicet Conceptionis) *finiri Mariæ laudes existimo, sed latere etiam plura, Beatis Spiritibus nota, & sua die revelanda Ecclesiæ, vt quævis ætas suis, atque novis gaudeat decorata Mysterijs*. Demùm B. Amadeus (valdè laudatus, & propugnatus in Blib. Virg. tom. 1.) Episc. Lausens. hom. 8. de Laudibus B. Mariç: forsan spiritu prophetico sic affatus: *Secundum certissimè, quod vberrima miracula, spirituales visiones, celestes revelationes almæ Parentis Domini Orbi terrarum assiduè coruscabunt, donec finem mundus iste senescens inveniat*. In hunc sensum collimant S. Bern. in Deprecatione ad Virg. Mariam, inquiens: *Gloriosa dicta sunt de te, Sancta Dei genitrix, sed adhuc locus est tuæ laudi, adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit*. Damascen. Orat. 1. de Nativit. vbi Mariam appellat, *miraculorum abyssum*. Et Orat. 2. de Dormit. Deiparæ vbi ipsam *Abyssum gratiæ proclamat*. D. Anselmus cap. S. de B. Maria in Bibliotec. Virgin. tom. 2. Verbiparam alloquentem sic faxit: *Immensitatem quippè gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuæ considerare cupienti sensus deficit, lingua fatiscit*. Similes locutiones extant apud D. Thom. D. Bonavent. & passim apud alios SS. PP. Quorum testimonia frequentèr in hac Palestra reperies, præsertim Propugnac. sequenti, & Certam. 13. Quid ergo mirum, quod adhuc in hisce sæculis plura sint innota de Virgine, & quod plura revelentur de ipsa?

Sanè hoc dumtaxat ausus erit negare, qui absolutè absque alio examine omnes revelationes novas spernit, quod quàm absurdum, quàm temerarium, quàm irrationabile sit, ex dictis abundè liquet, adversus quem militat præceptum Apost. 1. ad Thes. cap. 5. inquiens. *Prophetas nolite spernere, omnia probate, quod bonum est, tenete*. Ubi Doctis. Estius: *Adversus hoc præceptum peccant & illi, qui revelationes privatas, quibuscumque hominibus factæ legantur, toto genere spernunt, ac reijciunt*: *etenim hæc omnia prudentèr examinanda sunt, vt sciatur quid tenendum, quid reijciendum*.

*** *** ***

PRO-

DEMONSTRATVR SECVNDAM PROPOSITIONEM *communi SS. PP. sacrorumque Interpretum, consonare consensui.*

SEcunda Propositio, quæ Censura configitur est: *Quod veritates in hac historia revelatæ de Mysterijs, & Vita Dei Genitricis sint de numero earum, quas Apostoli ipsi portare non poterant.* In primis prænotandum Censuram circa hanc Propositionem, vt stat in scriptis Vener. Matris captiose procedere; quia loquens Deus de occultatione Mysteriorum, de quibus in præsenti tractatur, ob debilitatem Fidei Incarnationis, & Redemptionis in principio legis Evangelicę, & ob hebetudinem intellectus humani, inducitur dicens: *Et propterea dixit Persona Verbi Humanati Discipulis in vltima cęna, multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modò.* Censura ex industria taciturnitati tradidit verba sequentia, quę omnem prorsus videntur relegare difficultatem: *Locutum fuit* (videlicèt Verbum Divinum Humanatum) *in ipsis Apostolis omnibus fidelibus, qui non fuere dispositi, nisi stabilitis lege gratiæ, & fide Filij ad receptionem Mysteriorum, & fidem Matris.* Ex his constat, quod illa verba, *multa habeo, & c.* Non intelligantur à Vener. Matre in pręsenti, vt dicta Apostolis personalitèr, sed repręsentativè, quatenus in ipsis repręsentabantur fideles. Unde cum tota vis Censurę consistat in eo, quod dixerit Vener. Mater has veritates esse de numero earum, quas Apostoli ipsi portare non poterant, ex ipsis verbis Vener. Matris constat eius doctrinam esse immunem à tali Censura; siquidem non loquitur de Apostolis personalitèr, sed repręsentativè; etsi opus esset, deberet intelligi de alijs Fidelibus exclusivè ab Apostolis, siquidem loquitur de fidelibus repręsentatis in Apostolis.

Modò rogo, vt fideles crederent, & reciperent alta, sublimiaque Mysteria Dei Genitricis, non oportebat prius credere, & suscipere Mysteria, & fidem eius Divini Filij? Omnes pręcellentię, quę in Beatissimam Virginem corrivarunt, originem ex dignitate Matris Dei in ordine intentionis non deducunt? Quis igitur neget, quod oportebat prius Incarnationem Verbi Divini credere in visceribus Purissimę Virginis, vt ex dignitate tanti Filij, & receptione Mysteriorum illius, agnosceretur dignitas, & reciperentur Mysteria illius Virginis Matris? Quid ergo rationi dissonum in hoc, quod illa verba: *Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modò*, dicta fidelibus repręsentatis in Apostolis intelligantur de Mysterijs Dei Genitricis sublimibus, ad mo-

modum, quo intelliguntur de alijs plurimis rebus posteà revelatis; præsertim cum (vt faxit Magnus Parens Hieron. in cap. 3. epist. ad Ephes.) *Singuli sermones, syllabæ, apices, & puncta in Divinis Scripturis plena sunt sensibus*. Quod autem textus relatus possit intelligi de Fidelibus omnium sęculorum, vt repręsentatis in Apostolis, constat ex communi consensu DD. Catholicorum, iuxta quem ita intelligitur ad litteram illud Ioann. 14. vers. 16. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Nec in hoc immorandum.

Sed examinemus iam sensum, in quo procedit ipsa Censura. Nunquid erit error dicere, quod Apostoli non poterant tunc portare Mysteria Marię in sensu, in quo loquitur V. Mater, videlicèt, non quia hoc esset incompatibile, sed quia intellectus humanus ignorantia plenus non nihil pati poterat turbationis, & dubitationis, cum fides Incarnationis, & Redemptionis erat in cunabulis? Sanè si hic esset error, multi supra hunc textum aberravere SS. PP. Alijs omissis, D. Chrisost. hom. 107. quod Apostoli non possent portare Mysteria, de quibus Christus fuit locutus, ait esse adscribendum, *Auditorum imbecillitati.* Similitèr S. Leo Papa serm. 2. de pœnit. per hæc verba: *Oportebat enim capacitatem eorum* (videlicèt Apostolorum) *qui docebantur augeri.* Et Sylveira in hunc locum subdit: *Omnia illa non potestis corde, & animo capere, intelligere, ac retinere; tùm quia adhuc imperfecti erant, & imbecilles rudibus, ac carnalibus Iudæorum ritibus, sublimia, & alta capere non valebant: tùm quia eorum mens tristitia, ac mœstitia occupata erat, & ad tàm grandia non sinebat surgere, & attendere.* In hoc collimat Sacrorum calculus Interpretum.

Deinde ne Author Censuræ ausus sit dicere quod hæc imbecillitas intelligi non valet circa Mysteria, & præcellentias Virginis, nunquid Verbiparæ præcellentiæ, & Mysteria non sunt adeò alta, atque sublimia, vt S. Bernard. Serm. 2. sup. Salve Regina ita fuerit de Maria effatus: *Nemo, nec in cœlo, nec in terra inventus est dignus aperire librum prærogativarum tuarum, & solvere digna septem signacula eius.* Et Ricard. à S. Laurentio, lib. 9. de laud. Mariæ: *Propter hoc etiam de eius* (scilicèt Mariæ) *specie toties replicat Sponsus in Canticis: absque eo quod intrinsecus latet soli perviumCreatori, sed nulli cognitum creaturæ; nàm quanta sit Mariæ species, qui dedit speciem solus novit.* Et Rupert. in Cantic. cap. 4. vers. 1. protulerit de Maria: *Absque eo, quod intrinsecus latet, quod solus in te Deus videt, nobis autem, quia inexpertum, idcircò ineffabile, & incogitabile.* In quod passim collimant SS. PP. quorum non pauca testimonia Certamine 13. producenda.

Sed proferamus iam quàm consona omnimodò sit locutio V. Ma-

. Textui Sacro iuxta SS.PP. Sacrorumque Interpretum in præfato loco intelligentiam. Rogo igitur quænam sunt illa multa, quæ Christus non dixit Apostolis, quia tunc *portare non poterant*? Sanè sunt ea omnia, quæ Spiritus Sanctus posteà manifestavit, sive Apostolis, sive sequentum sæculorum fidelibus: ergo optimè possunt comprehendi in illis multis, imò & necessario includi debent, Mysteria B. Mariæ Virginis, revelata V. Abbatissæ de Agreda, supposito, vt hic supponi debet, quod revelata sint verè. Tota ad antecedens devolvitur difficultas. Hoc autem expresse probatur verbis Christi sequentibus: *Cum venerit ille, docebit vos omnem veritatem.* Vbi Ven. Beda quærens quomodo Spiritus Sanctus docuit Apostolos omnem veritatem, respondet: *Ideò non de hac, sed de altera vita intelligendum esse, vbi omnem veritatem cognituri sumus, in quam nunc Spiritus Sanctus* (nota hæc verba) *donec eò perveniamus paulatim deducit.*

Sed adhuc aptius ad rem nostram Doctis. Maldonat. *Dicimus* (inquit) *ex hoc loco constare, non omnia dixisse Apostolis, imò nec Spiritum Sanctum omnia continuò Ecclesiæ revelasse, quia omnia simul portare non poterat; sed vt ætate crescebat, ita & scientiæ incrementum accepisse: rectè enim dixit Hillarius, sicut Christus olim faciebat, ita & nunc Ecclesiam (quamuis in sensu alio) ætate crescere, atque sapientiâ. Idem ab Apostolis factum, vt non omnia scripta, multa etiam nec viua quidem voce nobis traderent.* Et infrà: *Non est cum Apostolorum vita finitum Spiritus Sancti magisterium, Doctor pro se à Christo Ecclesiæ datus est, donec ipse ad iudicium, idest, ad colligendam Ecclesiam venerit eius officium duraturum.*

Prætereà in illis verbis, *Docebit vos omnem veritatem.* Ubi textus Syriacus, Græcus, & omnes PP. Græci, imò ex Latinis S. Augustin. legunt: *Deducet vos in omnem veritatem*: Inquit Cardin. Toler. *Quo indicatur motus quidam, & successio: nàm non semel, & statim omnia aperit, sed successu temporis.* Et posteà: *Sanè modò sunt multa Ecclesiæ revelata, quæ prius non erant distincta, & aperta.* Similia profert Doctissimus Cornelius à Lapide in hunc locum. In hoc etiam sensu videtur Ecclesia dicere: *Mentes nostras Paraclitus, qui à te procedit, illuminet, & induat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.* Vt habetur in Orat. Feriæ 4. Pentecost. Hæc omnia firmantur in mente S. Gregor. Naciançen. Orat. 4. de Theologia, vbi ad hunc locum, & ad illa verba Ioann. 14. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum*, ait: *Vides illuminationes paulatim nobis affulgentes, Theologiæque ordinem, quem nobis tenere præstiterit, vt nec repente, nec confertim omnia in lucem efferamus, nec in finem vsque occultemus.* Consonat Tertullian. vt videri est apud Maldo-

donat, qui ipsum adducit pro sua sententiâ, & quoad substantiam & adduci etiam potest S. Cyprian. Epist. 71. ad illud Epist. 1. ad Corinth. c. 14. vers. 30. vbi ait: *Quod si aliud revelatum fuerit sedenti, prior taceat, qua in parte docuit, & ostendit Apostolus multa in dies singulos in melius revelari, & debere vnumquemque, non pro eo, quod semel tacebat pertinacitèr congredi, sed si quid melius, & vtilius extiterit, libentèr amplecti.* Neque silentio involvendus Doctissimus Salmeron, qui super præsentem locum, tom. 9. in Evangel. tract. 69. in illis verbis: *Adhuc multa habeo vobis dicere, includit revelationes privatas horum sæculorum per hæc verba: Nàm alia alijs temporibus revelantur, modò prioribus temporibus non dissentiant.*

His omnibus non exilem præbet authoritatem Gonsalvus Durân, qui ad lib. 6. Revelationum S. Brigittæ, cap. 55. hunc eundem locum in eodem sensu explicat, intelligens quod ea, quæ fuere revelata S. Brigittæ, fuere de numero illarum veritatum, quæ Christus reticuit, cum dixit: *Adhuc multa*, &c. Quis ergo inoffenso pede sensum V. Abbatissæ de Agreda non decurrat tanto suffultum authoritatis pondere? Qua ratione damnatur vt ab ipsa dictum, quod vt ab alijs simili modo prolatum, aut colitur, aut saltem non improbatur? Quid Author increpabit Censuræ?

Forsan dicet, quod sensus, & intelligentia V. Matris opponitur S. Augustin. tract. 96. in Ioannem, vbi ad illa verba, *Adhuc multa habeo*, &c. ait: *Sed quænam sine ista, quæ ipse non dixit, temerarium est velle præsumere dicere.* Levis obiectio sanè. Et in primis meminerit Author Censuræ, quod eam diluunt Card. Tolet. & Maldonat. Quantum autem ad præsens attinet minimè vrget: nàm *D. August.* vt ex ipso constat, ibidem loquitur de illo, qui absque vllo Diuino testimonio determinaret ea, vt constat ex hisce ipsius verbis: *Quis enim est tàm vanus, aut temerarius, qui cum dixerit etiam vera, quæ voluerit, sine vllo testimonio Diuino, affirmet ea esse, quæ tunc Deus dicere noluit?* Ast V. Mater, cùm hæc ex divina revelatione propallavit, non vt voluit, sed sicut Domino placuit, locuta est, & ex iussu Dei, quatenus vt constat ex 1. part. num. 9. & 10. ipse Deus ordinavit eam hanccine Historiam Verbiparæ scribere, dicens: *Mysteria in tali Historia contenta esse de numero earum veritatum, de quibus dixit Persona Verbi adhuc multa*, &c. Ergo V. Mater nullatenus obsistit menti Augustini, imò iuxta ipsius August. intelligentiam optimè componitur, quod veritates in hac Historia de Deiparà revelatæ, sint de numero earum, de quibus dixit Christus: *Adhuc multa, & c.* Nàm V. Abbatissa huius dicti præbet testimonium, videlicèt, quod Deus revelaverit esse de illis.

Quid

Quid ergò ampliùs dicet Author Censuræ? Forsan quòd quidam Hæretici, qui appellantur Gnostici, abusi fuere eodem textu ad probanda sua nova commenta, dicentes, non fuisse à Christo, & ab Apostolis tradita, sed per Spiritum Sanctum ipsis revelata, vt Christus prædixerat in illo loco, *Adhuc multa*, & c. Ergo, & c. Sed hunccine scrupulum iam prius quàm V. scripsisset Mater, enervarunt omninò plures Sacri Interpretes, quorum numeri est Maldonatus, & ab hinc multis sæculis illum prævidens Tertul. lib. de Monog. cap. 2. sufficientissimè respondit per hæc verba: *Ergo inquis hac argumentatione quidvis novum, & onerosum Paraclito adscribi poterit, etsi ab adversario spiritu fuerit? Non vtique: adversarius etenim spiritus ex diversitate prædicationis apparet. Primò regulam adulterans fidei, & vita ordinem adulterans disciplinæ.* Hæc Tertul. quem Maldonatus adducit. Ex quibus (quidquid sit, an Tertul. alitèr abusus fuerit hoc textu) constat quod vt Hæretici Novatores proterantur, non egemus coarctatione illius textus: nàm doctrina hæretica, aut temeraria ex fidei dogmatibus, ex SS. PP. & ex communi calculo Theologorum agnoscitur. Vener. autem Abbatissa de Agreda in tota Historia de Deipara doctrinam continet nullo modò dissonantem fidei, Ecclesiæ, SS. PP. aut non consentaneam Theologis. Deinde, si non obstante hac arguitione, & præcedenti, sensus V. Matris extat in tot probatissimis Authoribus, & PP. suprà relatis, quin improbetur, aut damnetur, cur vt prolatus ab ipsa est, improbandus, & damnandus?

Sed dices adhuc (nihil enim dissimulare vellem) vel Paraclitus docuit Apostolos omnia Mysteria B. Mariæ modò revelata, vel non? Secundum non potest dici, quia contrariatur textui: *Docebit vos omnem veritatem.* Nec primum, quia adversatur Vener. Matri asserenti, quod hæc fuerint abscondita in primitiva Ecclesia: ergo, & c. Hæc arguitio omnes revelationes novas post sæculum Apostolorum, & omnia, quæ dicuntur à PP. & DD. abscondita in primitivis Ecclesiæ sæculis, & posteà revelata spernit: quod quàm temerarium, quisque Catholicus iudicet. Deinde potest dici, quod hæc Mysteria fuerint cognita ab Apostolis, & non prædicata: quia fideles adhuc non erant dispositi, cum fides in cunabulis esset; & quod posteà in primitivis Ecclesiæ sæculis fuere abscondita, & modò V. Matri revelata, & quod ipsa in hoc sensu sit locuta.

Attamen vt verum existimo, quod illa particula, *Docebit vos omnem veritatem*, Non intelligitur absolutè de omni veritate, sed de illa, quam conveniens erat scire, vt exponunt S. Cyrillus, Maldonatus, Lyra, & communitèr Moderni, quæ fuit mens D. Thom. 1. 2. quæst. 106. art. 4. *Vbi docuit* (inquit) *Apostolos Spiritus Sanctus omnem veri-*

tatem de his, quæ pertinent ad necessitatem salutis, scilicet, de credendis, & agendis. Doctorem Angelicum in sensu à nobis relato intelligit, & sectatur Barrad. tom. 4. lib. 10. cap. 11. Quæ etiam particula vt dicta Apostolis personalitèr intelligitur arctius, quàm vt dicta toti Ecclesiæ figuratæ in ipsis Apostolis. Unde Suarez de fide, tract. 1. disp. 2. sect. 6. num. 19. asserit, quod non omnia cognovere Apostoli. Quod amplius adstruit Guillelmus Esthius in cap. 16. Ioann. vers. 13. Consonat Maldonatus citatus, & Card. Hugo de fide, disp. 3. num. 70. vbi ait: *Possunt de facto alicui privatę personę aliqua revelari à Deo, quę Apostolis non sunt manifestata.*

Igitur dicendum est, quod ex Mysterijs Mariæ Apostoli cognoverunt omnia, quæ ipsos decebant, & oportebat scire: vnde ex his, quæ in haccine clauduntur Historia Vitæ Deiparæ, agnoverunt totum id, quod decens, & conveniens erat ipsis: Ast quia vt ait Maldonatus, nec verbo scripto, nec viva voce omnia, quæ agnoverunt, prædicarunt, adhuc hæc ipsa, quæ modò de novo revelantur in primitivis Ecclesiæ sæculis, potuerunt esse abscondita. Ex hucusque dictis quàm iniustè fuerit Censurà confixa præsens doctrina V. Matris, iudicet lector.

PROPUGNACULUM III.

DEMONSTRATVR TERTIAM PROPOSITIONEM, vt extat in Scriptis Vener. Matris, esse prorsus ab omni Censura alienam, & vt extat subiecta Censuræ, esse confictam.

IN tertia Propositione Author Censuræ, vt doctrinam configeret, prius confinxit. Propositio in scriptis Vener. Matris ita se gerit ex parte Dei loquentis: *Nolo istam descriptionem, & declarationem Vitæ ipsius* (nempè Virginis Mariæ) *esse opiniones, vel contemplationes, sed veritatem certam. Yo no quiero que sea esta descripcion, y declaracion de su Vida opiniones, ni contemplaciones, sino la verdad cierta.* Author verò Censuræ ita ementitus est: *Nolo eam spectari ab hominibus tanquam opiniones, aut simplices visiones, sed tanquam constantem, & infallibilem veritatem.* Huius Propositionis sensus, licèt in rei veritate dignus Censurà apposita haud sit, tamen longè diversus est à verò Propositionis sensu, vt extat in scriptis Vener. Matris. Aliud enim est præcipere, seu quasi præcipere hominibus vt habeant illas veritates revelatas tanquam constantes, & infallibiles; siquidem vt dicit Suarez de fide, tract. 1. disp. 3. sec. 10. num. 7. *Generalis regula est, vt alij credere teneantur, requiri approbationem Ecclesiæ, vt sumitur ex Concilio*

Later.

Lateranenſ. ſuprà citato, & tunc iam fides illa incipit eſſe Catholica.

Aliud eſt dicere: *Volo hanc deſcriptionem non eſſe opiniones, vel contemplationes, ſed veritatem certam.* Hæc enim locutio adeò irreprehenſibilis eſt, vt ex ſuppoſitione, quod voluerit Deus V. Abbatiſſam de Agreda Hiſtoriā ex revelatione ſcribere, alitèr haud potuerit loqui. Numquid totum id, quod à Deo verè revelatur, non ita eſt verum, conſtans, & infallibile, vt non poſsit nō eſſe certiſsima veritas? Quis neget? Cum vera revelatio Dei ſit conſtans, & infallibilis, idem eſſet Deum dicere: volo te ſcribere ex revelatione, ac proferre: volo illa, quæ ſcripſeris, eſſe veritatem certam, & infallibilem: ſicut ergo nullus ægrè ferret, quod Deus induceretur à Vener. Matre dicens primum; ita nullus ſanæ mentis damnare valet, quod inducatur proferens ſecundum.

Similem loquendi modum invenies paſsim in alijs plurimis revelationibus. Petatur exemplum à revelationibus Sanctæ Brigittæ lib. 1. cap. 9. lib. 6. cap. 66. In quibus, ſicut & in alijs locis, alloquens B. Virgo S. Brigittam ait: *Certitudinalitèr tene, iſta eſt pro certiſsimo rei veritas.* Si autem hoc in S. Brigitta approbatur à Synodis Cardinalium, & Epiſcoporum, à Summis Pontificibus, imò & à Concilio Baſilienſi, quomodo in V. Abbatiſſa de Agreda damnatur, quaſi ipſa Eccleſiæ violare iura conata fuiſſet?

Senſus ergo Propoſitionis genuinus, vt benè prævidit in nota ad hunc locum Sapientiſsimus, & Illuſtriſsimus Samaniego Epiſcopus Placentinus, eſt Deum voluiſſe Vener. Matrem Scripturam, Hiſtoriam Deiparæ, non ex ſcientia infuſa, qua ſuffulta erat à Deo pijſsima Mater; ſed ex revelatione, ideoque Deus dicit velle eſſe veritatem certam ex revelatione, non verò opiniones, conſiderationes, aut contemplationes ſcientiæ, qua fruebatur pijſsima Author, qua ſcientia ex cognitione principiorum poſſet poſteà diſcurrere probabilitèr. Sed vt magis conſtet quanta damnandi progreſſa fuerit Cenſura libidine, demus quod Vener. Mater dixerit ipſamet loquens: *Hanc deſcriptionem eſſe veritatem certam.* Unde reprehenſibilis foret? Numquid anima, cui fuit revelatio non poteſt habere ab ipſo Deo lumen, quo evidentèr cognoſcat revelationem eſſe factam ſibi? Sanè hoc indubitatum eſt apud Theologos. Unde D. Thom. quæſt. 10. de verit. art. 3. & Scotus in 3. Oxonienſi diſt. 24. quæſt. vnic. num. 17. aſſerunt Prophetas *Hoc obtinuiſſe lumen.* Et ſive per ipſam revelationem directè, ſive per lumen reflexum, certiſsimum eſt, animas poſſe ita aſſentiri revelationi, vt diſſentiri haud poſsint, etſi velint. Unde dixit S. Anſelm. cap. 4. Prolog. in fine: *Sic intelligo, te illuminante* (alloquitur Deum) *vt ſi te eſſe nolim credere, non poſſum non intelligere.* Sic Angela de Fulgino cap. 27. de octava conſolatione agens de manifeſtatione

ne, quæ per revelationem efficitur; profert: *Et fit cum tanta claritate, & cum tanta dulcedine, & certitudine, & cum tanto abysso, quod non est cor, quod ad id possit attingere.* Unde ergo Vener. Mater reprehendi posset, etiam si ipsa asseruisset, quod id, quod scribebat erat veritas certa? Sanè idem foret, ac dicere, quod erat res revelata ipsi: siquidem si cognovisset per lumen Dei esse verè revelationem, cognovisset esse veritatem certam, & infallibilem.

Ast non ipsa in tali Propositione loquitur, Deus est, qui faxit se velle ipsam scribere Vitam Deiparæ: *Et nolle esse opiniones, vel contemplationes, sed veritatem certam.* Hoc est, velle Vener. Matrem scribere ex revelatione: qui sensus constat evidentèr ex 2. part. num. 678. vbi ait Vener. Mater: *Et in his, quæ scribo, non oportet introducere disputationem, quia ab initio huius historiæ, vt tunc dixi, intellexi à Domino, quod ipse volebat me scribere totum hoc opus absque opinionibus ex veritate, quam lux divina me docet.* Quid loculentius?

Dicit Author Censuræ, seu saltem supponit, quod ipsa voluerit Ecclesiæ violare iura, proponendo veritates, sibi revelatas, tanquam constantes fidelibus, & infallibiles. Quanta autem iniuria hic irrogetur huiccine Sponsæ Dei humillimæ, constat ex introductione 1. part. vbi humillimè suum timorem aperit, & suam Ecclesiæ, SS. PP. & DD. subiectionem exponit. Liquet ex num. 11. vbi asserit: *Omnia, quamvis alta, & sublimia, & certa videantur, peragenda esse ex directione Magistrorum Ecclesiæ Sanctæ.* Patet deinde ex fine sui operis, num. 791. vbi ait: *Hanc totam historiam denuò eorum* (nempe Confessorum) *meliori iudicio submitto, & super omnia eam subijcio correctioni S. Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, cuius censuræ, & doctrinæ, tanquam filia eius, protestor me esse subiectam, vt credam, & teneam id solum, quod ipsa Sancta Ecclesia Romana Mater nostra approbaverit, & crediderit, & vt reprobem quidquid ipsa reprobaverit, in qua obedientia vivere, & mori cupio.*

Totum id, & se esse defectibilem, mirè, & humillimè num. 14. introducti operis dixerat, & fassa fuerat hisce verbis: *Fateor me errare posse, & id esse filiæ ignaræ, propterea totum defero, atque submitto Rectoribus meis, & correctioni Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ.* Quis istæ hæc perpendens ausus erit præsumere hanc humillimam Virginem iura Ecclesiæ vsurpare intendisse, eiusque authoritatem arrogasse? Deinde finis Venerabil. Matris in hoccine scribendo opere apprimè exprimitur, num. 12. Introduction. Ubi asseverat se in describenda Vita Dei Genitricis ædificationem primario, & principalitèr intendere: *Propterèaque* (inquit ipsa) *scribam, non vt Magistra, sed vt Discipula; non ad docendum, sed ad discendum: scio enim mulieres ex of-*

fi-

ficlo non locuturas in Ecclesia Sancta Dei , sed audituras Magistros. Quid eloquentius? quid humilius? Similia, & quod scripserit ex præcepto Prælatorum, & Confessorum passim in ipso opere reperies. His visis ex immunitate V. M. à præsenti Censura colliges quanta damnandi libidine proficiscatur Author Censuræ in his, & in alijs.

COROLLARIA.

Colliges ex dictis quàm detestanda sit Censura: primò, quia eius Author primam configens Propositionem niti haud potest alio fundamento, quàm contemptu omnium revelationum privatarum, præsertim horum sæculorum, in quem errorem prolapsus videtur favere Kemnitio, & Centurijs Magdeburgensium, qui revelationes respuunt, vt ostendit Gravin. in Lydio Lapid. lib. 1. cap. 2. vnde videtur favere omnibus Hæreticis renuentibus omnia mysteria, quæ expressè non constant ex verbo scripto.

Secundò, quia in secunda Propositione avulsa sunt ex industria verba sequentia: quibus positis, satis appareret sensus V. Matris omninò irreprehensibilis. Tertiò, quia in damnatione huiusce secundæ Propositionis præbet fundamentum Hæreticis, & alijs parum in fide stabilitis, vt contemnant definitiones, traditiones Conciliorum, leges Ecclesiasticas, omnes privatas illuminationes, & revelationes; quæ omnia, atque alia sunt de illis multis, quæ Discipuli portare non poterant in vltima cœna, & manifestata posteà per illum Spiritum, de quo dictum est: *Docebit vos omnem veritatem.* Intellige convenientem. Quartò, quia in tertia Propositione doctrina imponitur V. Matri omninò conficta.

Colliges secundò, iniuriam ingentem Sacræ Facultati Parisiensi esse irrogatam in evulgatione talis, sub eius nomine, Censuræ; tanta enim famigeratissima Universitas, Fidei nitidissima Columna, haud credendum, quod in Censuram ita Hæreticis faustam, Catholicis infectam, scatentem dolis, sit prolapsa. Ego sanè minimè credam.

CERTAMEN QUARTUM.

REFERVNTVR PROPOSITIONES subiectæ Censuræ in Artic. III.

NUm. 107. in fine: *Et nos, ò Angeli Domini, adoremus, & honoremus hanccine Beatam fœminam, quæ datura est carnem humanam Verbo æterno.*

Num.

Num. 181. *Beatæ generationes, quæ illam videbunt, & quæ poterunt ad eius pedes devolvi, & illam adorare.*

Num. 328. *Angeli Custodes dulcissimæ filiæ, aliorum Angelorum multitudine comitante, adoraverunt illam, & obsequia sua exhibuerunt illi, cum extaret in vlnis suæ Matris.*

Num. 334. SS. *Angeli adorauerunt, & recognoverunt in throno Altissimi Mariam Sanctissimam.*

CENSURA.

Licet adorationis nomen æquivocè sumatur, & aliquando in Scripturis, & nonnullis Patribus pro honore creaturis debito vsurpetur; tamen cum ex Ecclesiæ vsu terminus ille vsurpari debeat ad significandum supremum cultum soli Deo debitum, nec possit sine periculo scandali creaturis communicari: hæ Propositiones, quatenus eodem adorationis termino cultum exprimunt exhibitum, vel exhibendum Beatissimæ Virgini, quo ipsi Deo exhibitus ab Authore exprimitur, scandalosæ sunt, & in errorem inducentes. Quatenus autem dicunt, Sanctissimam Virginem adoratam ab Angelis statim vt ipsi creati sunt, & statim ac ipsa nata est, tunc etiam adoratam in throno Altissimi, respectiuè temerariæ sunt, & falsæ.

NOTA.

HAccine Censurà quatuor Propositiones iugulantur. Prima, quod dicatur, *Beatissimam Virginem fuisse adoratam, quin addatur, quo adorationis modo.* Secunda, quod Angeli *Adoraverint ipsam statim ac creati sunt.* Tertia, quod *Adoraverint ipsam statim ac ipsa nata est.* Quarta, quod V. Mater dixerit, *B. Virginem in throno Altissimi fuisse adoratam.*

PROPUGNACULUM I.

DEMONSTRATVR PRIMAM PROPOSITIONEM ESSE prorsus consentaneam dogmatibus fidei.

ANtequam clarigemus assumptum, edisserere arridet, qualem doctrinam supponit Censura, imò exprimit. Asserit, quod adorationis nomen æquivocè sumitur. Hoc omninò apparet falsum: adoratio enim, vt ait Damascenus, Orat. 1. de Imaginibus: *Est submissionis, & humiliationis nota.* Et Orat. 3. *Est*, inquit, *animi cedentis submissi, atque humilis significatio.* Quę descriptio ex vocis significatione, & ex communi omnium hominum vsu desumpta est: non potest autem convenire æquivocè latriæ, hyperduliæ, & duliæ iuxta Prima-

tes

tes, antesignanos Theologiæ Scholasticæ, Magistros præcipuos, sed ad minus analogicè, vt tenet D. Thom. 2. 2. q. 94. art. 1. & q. 84. art. 1. ad 1. Unde Petrus Bergoniensis in tabula, seu concordant. D. Thom. verb. *Adoratio*, num. 3. sic ait ex mente D. Thom. *Adoratio exhibita Deo, & creaturæ, dicitur non vnivocè, sed analogicè.* Hanc sententiam tenet D. Bonavent in 3. distinct. 9. art. 2. q. 4. in corp. vbi ait: *Quod sicut Dominus dicitur analogicè de Deo, & creatura, ita & duliam in communi sumptam, prout abstrahit ab adoratione Deo, & creaturæ debita, analogicè dici.* Quod autem æquivocè non dicatur; satis deducitur ex Scot. in 3. dist. 9. q. 1. & vt certum supposuit Suarez tom. 1. in 3. part. disp. 51. sec. 3. & ita, vel supponunt, vel asserunt Theologi: haud dumtaxat vtriusque Scholæ, Angelicæ, & Subtil. sed etiam qui media proficiscuntur via. Unde Cardin. Bellarmin. lib. 1. de sanctis, cap. 12. adorationem sumi analogicè respectu latriæ, non probat, sed supponit, aut notat tanquam certissimum inter Catholicos.

Secundo demonstrare placet doctrinam, quæ damnatur, esse ab Authore Censuræ simulatam. Quod enim damnatur in hac Propositione, est, quod eisdem terminis, seu eodem termino adorationis, exprimatur cultus exhibitus Deo, & exhibitus Virgini. Hoc autem est falsissimum: nàm V. Mater nunquam dicit, quod Virgo fuerit adorata, aut adoranda tanquam Creatrix, nec tanquam suprema Domina infinita in suo esse, & attributis suis, aut adoranda propter vnionem hypostaticam, tanquam suppositum Diuinum, aut tanquam Caput Angelorum, non solum quatenus Deus, sed etiam quatenus homo. Ast vt constat ex num. 87. V. Mater refert, imperatum fuisse Angelis, *Vt Deum Vnum in substantia, & Trinum in Personis adorarent, & colerent; & hoc tanquam Creatorem suum, supremumque Dominum infinitum in suo esse, & attributis.* Et statim num. 88. refert manifestatum fuisse Angelis *Secundam Personam Sanctissimæ Trinitatis assumpturam esse naturam humanam, & quod ipsi adoraturi erant suppositum illud hominem, & Deum, tanquam caput suum, non solum quatenus Deus foret, sed etiam quatenus homo*: Ergo falsum est, quod eisdem terminis exprimat cultum exhibitum Deo, & exhibitum Mariæ. Explicatur hoc, & simul eius immunitas demonstratur doctrinæ. Si V. Mater dixisset, quod Angeli adoraverunt Deum latria, & adoraverunt Virginem hyperdulia, nullo modo posset dici, quod eisdem terminis, aut eodem adorationis termino, expresserit cultum exhibitum Deo, & cultum exhibitum Mariæ, & eius doctrina non reprehenderetur: sed hoc ipsum manifestè indicat, dicens, quod Angeli adoraverunt Deum, tanquam Creatorem, & supremum Dominum infinitum in suo esse, & attribu-

tis, vt asserit expressè num. 87. & quod adoraverunt Mariam tanquam mulierem Matrem Dei, vt constat ex num. 107. expressè, & ex alijs relatis in Censura: ergo, &c. Probatur minor. Ratio ob quam datur Deo suprema species adorationis, quæ est latria, est suprema excellentia, vt omnes vniversalitèr Theologi asserunt cum D. Thom. 2. 2. q. 103. art. 3. & similitèr ratio, ob quam exhibetur adoratio hyperduliæ Deiparæ, est dignitas Matris inferior Deo, & superior puris creaturis: ergo V. Mater asserens, quod Angeli adoraverunt Deum vt Creatorem suum, supremum Dominum, & consequentèr tanquam supremum in dignitate, manifestè indicat, quod illa adoratio fuit adoratio latriæ, siquidem idem est, quod Deus adoretur vt suprema dignitas: ac quod talis adoratio sit adoratio latriæ: nàm si non adoraretur adoratione latriæ, non adoraretur vt suprema dignitas: & pariformitèr, servatis servandis, de adoratione Mariæ, vt mulieris Matris Dei, quod manifestè fuit explicare, quod fuerit adoratio hyperduliæ. Hoc totum evidentèr demonstratur ex mente V. Matris.

Igitur V. Mater num. 557. part. 1. docet: *Quod debetur cultus illis, qui superiores sunt nobis, qui cultus debet esse iuxta magnitudinem suæ excellentiæ, & dignitatis*; Unde posteà infert, quod *Adoratio latriæ, quæ est suprema, debetur Deo.* Ergo iuxta ipsius mentem idem fuit dicere, quod Angeli adoraverunt Deum vt Creatorem suum, & supremum Dominum, ac dicere quod talis adoratio fuit adoratio latriæ, quæ est suprema; vt autem constet quàm rectè senserit V. Mater de cultu adorationis iuxta dogmata fidei, & Theologorum sententiam, decurratur num. citat. 557. vbi explicat adorationem latriæ, vt eam melius explicasse videatur nemo. Decurratur num. 158. vbi adoratio duliæ exprimitur, vt exhibenda Sanctis, & sanè altissimè. Ex quibus constat, quod supponit hyperduliam exhibendam Virgini, quam adorationem, & si ibi non explicet, ideò est, quia ibi solum agit de virtutibus, quas operabatur Dei genitrix, in qua non fuit hyperdulia, quia non poterat adorare seipsam. Deinde in 3. part. explicat quomodo adoratio latriæ fuerit exhibita Cruci, cuius locutio est omninò consentanea menti Angelici Præceptoris 3. part. q. 25. art. 4. & Seraph. Doctor. in 3. dist. 9. art. 1. q. 4. Si ergo V. Mater adeò rectè, adeò altè de cultu adorationis iuxta doctrinam Ecclesiæ, & Theologorum sentit, quis, his visis, ausus erit eam in præsentiarum damnare?

Sed veniamus iam ad demonstrandum Propositum assumptum. Demus, quod vsa fuerit V. Mater hoc termino *Adoraverunt*, respectu Dei, & respectu Mariæ, absque alio additamento, Quis reprehendet: Certum

est

est, quod non est reprehensibilis quatenus vsa fuisset locutione, quæ liquet ex valdè plurimis Scripturæ testimonijs, ex definitionibus Conciliorum, ex SS. PP. Quam locutionem Theologi asserunt esse de fide; sed talis est illa locutio: *Angeli adoraverunt Mariam*, Quantum attinet ad verbum *adorare*, sine aliquo additamento: ergo. Probatur minor: nam lib. 1. Paralipomen. cap. 29. dicitur: *Et benedixit omnis Ecclesia Domino Deo PP. suorum, & inclinaverunt se, & adoraverunt Deum, & deinde Regem.* Ergo vocabitur idolatra omnis Ecclesia Israel, vbi eius adoratio eodem termino explicatur respectu Dei, & respectu puræ creaturæ, licèt Regiæ dignitatis? Cur ergo configitur Censura V. Mater, ex eo quod eodem termino adorationis vsa fuerit respectu Dei, & posteà respectu Mariæ Reginæ Cœli, & Terræ? Vt à prolixitate me absolvam, paucis multa comprehendam. Octo super quinquaginta in locis (ni fallor) applicatum est in Sacra Scriptura hoc verbum *adoro* indistinctè respectu purarum creaturarum; & in primo loco, in quo reperitur, qui est cap. 18. Genes. vsurpatum est pro adoratione creaturæ, cum posteà cap. 21. eiusdem libri pro adoratione Deo exhibenda, etiam indistinctè vsurpetur. Quomodo ergo indistinctè non valebit vsurpari à V. Matre pro adoratione exhibita Dei genitrici?

Constat ex Concilijs: nam in Septima Synodo, act. 4. 6. & 7. & in Tridentino sess. 25. in decreto de reliquijs, & de veneratione SS. primo loco docetur *B. Virginem esse adorandam*; & hoc absque alia explicatione. His Concilijs addi debent quot Concilia definiunt Sanctos, Angelos, & Imagines esse adorandas, vt Concilium Florentinum in fine, sess. 5. Concilium Grangense, can. 20. Concilium Romanum, vt constat ex Felice I. in sua epist. 2. Decretali, & etiam 2. Nicænum Æcumenicum, act. 2.

Constat ex SS. PP. Nonnullos laudabo, innumeros relinquens. S. Basilius epist. ad Iulian. laudata ab Adriano Summo Pontif. in epistolis ad Imperatores pro 7. Synodo, ait: *Confiteor autem, & Dei genitricem Mariam, suscipio vero Sanctos Apostolos, &c. Pro quo figuras eorum adoro.* Damasc. orat. 1. de Nativit. Mariæ, & 2. de Assumptione: *Decet Dei Matrem ea, quæ Filij sunt possidere, & ab omnibus adorari.* Nicætas Choniates, lib. 20. Thesaur. Orthodox. *Dei Matrem, atque id circò Dominam, & Reginam omnis creaturæ adoro.* His addi debent innumeri SS. PP. qui indistinctè vtuntur verbo adorationis respectu Sanctorum, Angelorum, aut Imaginum: quia si hoc verbum *adorare* potest applicari SS. & Imaginibus absque explicatione speciei adorationis; potiori iure Dei genitrici. Satis sit laudare Magnum Parentem, Aug. serm. 25. de Sanctis, vbi ait: *Beatissimum Petrum Piscatorem modò genibus provolutis adorat multitudo gentium.*

Constat ex Theologis: nam S. Thomas 3.p. q.25. art.5. ad 2. ait: honor Matris refertur ad Filium, *quia ipsa Mater est propter Filium adoranda*. S. Bonaventura in 3.dis.9. art.1. q.3. ad 4. benè sequitur quod Christus *verè Matrem suam velit adorari, & venerari, sicut decet Matrem Dei: & ex hoc non sequitur, quod velit illum honorem Matri exhiberi, quem vult exhiberi sibi*. Suarez 2.tom. in 3.p. disp.22.sect. 1. ita ait: *Dicendum est 1. Beatam Virginem esse adorandam: est de fide*. Celebris Doctor Parisiensis Isambertus in locum suprà laudatum D. Thomæ ait: *De fide est, Beatissimam Deiparam esse adorandam*. Eijsdem terminis locutus est Franciscus Bonæspei 2.tom.de Incarnat. disp.vlt. dub.2.resolut.1.& 2.Ita plures alij, quibus addi debent omnes Theologi, qui asserunt esse de fide SS. Angelos, aut Imagines esse adorandas, quod reperies ferè apud omnes; & communitèr in 1. Concl. absque explicatione speciei adorationis. Inter quos, quoad præsens attinet, auscultandus est noster Mastrius, tom.3. disp.2. q.10. num.238. vbi ait: *Concilia definiunt adorandas, & colendas esse Imagines Christi, & Sanctorum; modum autem, quo illæ sunt adorandæ, & colendæ non definiunt*.

Tandem brevitèr rationibus demonstratur: nam adoratio analogicè dicitur respectu cultus exhibendi Deo, & exhibendi creaturis, vt constat ex supradictis: sed analogum in scholis dicitur frequentissimè de illis, quibus convenit: vt in Schola Angelici Præceptoris patet: in qua creatura solet dici indistinctè ens, & substantia, & tamen substantia & ens analogicè dicuntur de Deo, & creaturis: ergo pariformitèr potest dici, Angeli adoraverunt Deum, Angeli adoraverunt Mariam, licèt respectu Dei, & Mariæ, nomen adorationis analogicè sumatur. Secundo probatur, evertendo fundamentum Censuræ: eatenus respectu Mariæ non possemus vti indistinctè hoc Verbo *adoraverunt eam*, quatenus ex hoc oriretur scandalum; sed hæc ratio prorsus est nulla, imò temeraria: quia aliàs Scriptura, Concilia, & SS. PP. & Theologi pravum effecissent exemplum, vtentes simili locutione indistinctè: ergo, &c.

Inquit Author Censuræ adorationis nomen aliquando in Scripturis, & nonnullis PP. pro honore creaturis debito vsurpari. O Bone Deus! Octo supra quinquaginta in locis vsurpatur, & dicit Author Censuræ, quod aliquando? A nonnullis PP. inquit: melius & verius dicere tenebatur ab omnibus ferè SS. PP. Theologis, alijsque Scriptoribus Ecclesiasticis. Ratio est firmissima, quia ferè omnes dicunt SS. & Imagines, aut expressè adorandos esse, aut saltem colendos, honorandos, & venerandos. Hinc alia insurgit ratio pro nostro intento vrgentissimà: quia si nomen adorationis non posset applicari

Ma-

Mariæ indistinctè, nec nomen cultus,honoris, & venerationis posset Mariæ,Sanctis,aut Imaginibus indistinctè communicari; sed quod Maria,Sancti,& Imagines colendi, honorandi, & venerandi sint indistinctè,dicitur vniversalitèr à SS. Patribus vt latè demonstrat Cardin. Belarm.contra Hæreticos lib.1. de Sanctis, c.11. Et lib.2. c. 12. ergo,&c.

Ex vsu Ecclesiæ inquit Author Censuræ, terminus ille *adorationis* vsurpari debet pro adoratione Dei. Sed cuius Ecclesiæ est vsus iste? Numquid Sacrosanctę Ecclesiæ Romanæ? Sed audiat Anastasium Bibliothecarium in pręfat. 7. Synodi œcumenicę ad Ioannem Pont. VIII. *Quæ super venerabilium* (inquit) *Imaginum adorationem præsens Synodus docet, hæc & Apostolica vestra Sedes antiquitus tenuit, & vniversalis Ecclesia,quibusdam dumtaxat Gallorum exceptis, quibus vtique nondum est horum veritas revelata.* O bonè Deus! Vsus vniversalis Ecclesiæ ab antiquissimis temporibus vsque ad pręsentia tenuit vsurpationem huius nominis adorationis, haud duntaxat respectu Sanctorum,& Deiparę, sed etiam respectu Imaginum, & propalat Author Censurę,quod tenet oppositum vsus Ecclesię?Demus igitur quod aliqui Gallorum in hoc ab Ecclesia Romana dissentiant. Quibus debuit V. Mater suum adaptare modum loquendi? Illis, an Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ?Illis,an irrefragabili vsui Hispanicæ Ecclesiæ? Sanè quidquid foret de alijs Regnis, ipsa loqui debuit more patriæ suæ, videlicètHispaniæ,vbi ita firmissimæ sunt hę locutiones:*Maria adoratur: Maria,Sancti,& Imagines sunt adorandæ*, vt si oppositum diceret, tanquam Lutherana,& Calvinista in Sacrosanctum Inquisitionis Tribunal foret elata. Locuta fuit igitur V. Mater eo more, & ea fide, quibus Ecclesię Romanæ subiecti Catholici, pręsertim Hispani, ab vberibus matricibus nutrimur, & alimur: quis ergo eam reprehendet?

Examinemus pro coronide, an Authori Censuræ aliquid restet adversus nos in præsentiarum obijciendum? Ast iam sese offert eximius Suarez loco laudato,ita inquiens: *Nihil video,quod obijci possit, nisi fortasse Epiphanius hæresi 78. vbi negare videtur Virginem esse adorandam. Sed mens eius ex hæresi,quam impugnat,colligenda est: nomen ergo adorationis pro latriâ vsurpavit: Vnde ibidem postea docet B. Virginem honore,ac veneratione prosequendam esse.* Fateor tamen,quod etiam obijci potest illud: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, & aliqua alia testimonia aliquorum PP. quibus Hæretici protelare conabantur adorationem,& cultum SS. & Imaginum: sed parco solutioni eorum, quia vtporè argumenta facta à Calvino lib. 1. Institut. c.11. §.2. & c.12. & §.1. & 2. enervata sunt à Bellarmino lib.1.

 lau-

laudato, c. 14. Satis sit dicere, quod ex his constat assumptum In Propugnaculo expressum, nam propositio, quæ in re damnatur, est, *Virgo est adoranda*: Quod ista absque alio additamento sit omnino consentanea dogmatibus fidei, iam constat. Eius contradictorium est, *Virgo non est adoranda.* Quod autem hęc propositio sit hæretica, constat tum ex dictis, tum quia potiori iure debet censeri hæretica, quam sequentes propositiones, quæ, vt Hæreticæ protelantur à Belarmin. laudato c. 11. *Sancti non sunt colendi*, quod asseruit Vbiclef. *Sanctorum adoratio est idolatria*, quod asserunt Magdeburgenses Centuria 1. lib. 2. c. 4. *Sancti non sunt adorandi*, quod præter hos asseruit Calvinus, & alij.

PROPUGNACULUM II.

DEMONSTRATVR SECVNDAM PROPOSITIONEM esse prorsus immunem à Censura, vtpote consonam PP. & Theologis.

DAmnat Author Censuræ, quod *Angeli statim, ac creati sunt, Deiparam adorarent.* Sed cui dogmati fidei, cui traditioni, cui SS. PP. consensui propositio refragatur ista, vt confixa fuerit tanquam temeraria? Ipsa sanè temeraria non est, sed vtique Censura; quia damnare opiniones pias de Sanctissima Virgine abundè temerarium. In primis eius immunitas valde liquet ex eo, quod alijs revelationibus omnino consonat: expressè enim habetur in Amadæo Episc. Lausensi raptu 5. in Bibliot. Virg. tom. 1. mihi fol. 686. vbi inducitur Angelus Gabriel alloquens Mariam de modo quo Angeli statim ac creati sunt, cognoverunt Incarnationem, ita proferens: *Tunc ego aperui quomodo Deus à principio nobis revelaverat se in vtero ipsius* (scilicet Virginis) *velle humanitatem assumere, imo & omnibus præcepisse, vt illum Deum Hominem adoraremus, illique subijceremur, & non solum sibi, sed etiam suæ Genitrici.* Et postquam retulit diffusum certamen inter Angelos bonos, & malos, profert, *quod Angeli alij mali dicebant: nolumus nisi illum vnicum adorare Hominem, non Matrem eius.* Ex his autem apprimè constat Angelos bonos, vt viatores, & cōsequenter statim ac creati sunt, non solum Christum, sed etiam Dei genitricem adorasse.

Adest S. Antonin. Florent. in opusculis, serm. de Concept. Virg. in 2. tom. Bibliot. Virg. vbi (postquam dixisset Angelis fuisse revelatum Incarnationis Mysterium, Christumque ex B. Maria nasciturum) prosequitur dicens: *Et sic antequam essent abyssi* (idest creaturæ in sua distinctione, & vltima perfectione) *ego* (scilicet Virgo) *concepta eram in*

in-

Intellectu Angelico per cognitionem, & cum hoc cognoverunt, magnum festum fecerunt in Paradyso. S. Antonino, & Amadæo consonant Authores benè multi, qui eorum transcribunt testimonia, & ipsis subscribunt. Si ergo Dei genitrix cognita fuit ab Angelis, cum revelatum fuit eis Mysterium Incarnationis in principio vniversi, & consequentèr statim ac ipsi creati sunt; & deinde cum hoc cognoverunt, magnum festum fecerunt; quid mirum quod eam adoraverint? Nunquid difficilius adorare eam, quàm super illa statim, ac creati sunt, festum agere?

Prætereà Angeli statim, ac creati sunt, cognoverunt Mysterium Incarnationis, & consequentèr Dei genitricem, vt constat ex S. Antonino, & B. Amadæo laudatis. Ex S. Bernard. c. 17. in Cantica, vbi asserit expresse, quod Angelus malus peccavit invidendo naturæ humanæ vnionem hypostaticam. Ex quo constat quod Mysterium Incarnationis revelatum fuerit Angelis Quæ doctrina ita est consentanea Scripturæ, & Sanctis Patribus, vt ausus fuerit dicere Eximius Doctor Suarez lib. 7. de Angelis, c. 13. *Nulla est, quæ in Scriptura & PP. magis insinuetur, aut verbis eorum magis accommodetur, vel tot coniecturis, & congruentijs, vero similior fiat.* Est frequentissima in vtraque Schola; vt constabit ex Cert. vltim. Propug. 2. in initio. Ex haccine irreprehensibili doctrina, tanto auctoritatis pondere prædita, manifestè infertur doctrina V. Matris: nam si Angeli statim ac creati sunt, cognoverunt, Verbum assumpturum carnem humanam, & consequentèr Dei genitricem, cum Dei genitrix, vt Dei genitrix, verè sit Domina, & Regina Angelorum, vt frequentissimè asserunt Sancti PP. quid mirum quod ad modum, quo iam tunc Christum adoraverunt (videatur ex Thomistis M. Gonet. 2. t. d. 13. num. 101. & Suarez statim citandus) eius Sanctissimam Matrem, servatis servandis, adoraverint?

Tandèm doctrina V. Matris est expressa Theologorum magni momenti: nàm eam expressè tradit Suarez 2. tom. in 3. p. D. Thomæ disp. 22. sect. 1. illam deducens ex Angelico Præceptore pluribus in locis: quos, Doctorem videlicet Angelicum, & Eximium laudat, & expressè sequitur Doctus Pater Alexius à Salo Capuccinus in sua Arte amandi piè, & colendi Deiparam, in Biblioth. Virginal. tom. 1. mihi folio 218. vbi ait: *Huic veritati nemo non Doctorum hactenus subscripsit.* His subscribit etiam ex mente D. Angel. expresse noster Carthagena tom. 4. lib. 18. Homil. 4. Quomodo ergo tanquam temerarium, & falsum in scriptis Venerabilis Matris damnatur, quod ab hinc tot diebus à Theologis tanti ponderis indemnitèr reperitur assertum? Præcipuè cum Censura doctrinam non examinet, nisi ex parte mate-

riæ

riæ? Ex quia quàm perinde consentanea sit rationi, apud Suarez videatur, vbi plurimis suffulta invenietur.

PROPUGNACULUM III.

TERTIA PROPOSITIO CONFIXA, VT PRORSVS à Censurâ immunis defenditur.

TErtia Propositio subiecta Censuræ est, quod *Sanctissima Virgo statim ac nata est, fuerit adorata ab Angelis.* Ex antecedenti Propugnaculo hæc omnino nitescit Propositio immunis: nam si Angeli adoraverunt Dei genitricem antequam in actu esset nata, & concepta, quid mirum, quod eam statim ac orta est, adoraverint? Primo supposito numquid repugnat secundum? Adversatur numquid doctrinę Ecclesiæ, aut Patrum? Et licet in Sanctis Patribus hæc veritas non legatur expressè, numquid non potuit de novo revelari, cum ipsis non adversetur, nec Ecclesiæ? Ast dilucidemus, quàm consona sit Ecclesiæ, & Sanctis Patribus.

Sanè manifestè deducitur ex eis, quæ dicit Ecclesia in Officio Nativit. B. Mariæ Virginis, videlicet: *Nativitas tua Dei genitrix Virgo gaudium annuntiavit Vniverso Mundo*, scilicèt, Angelis, Hominibus, & animabus corpore solutis, quod frequentissimè apud probatissimos Authores reperies. Quodque revelatum fuit S. Brigittæ lib. 6. revelat. c. 56. vbi Beata Maria ita de Natali suo inducitur loquens: *Angeli verò Dei gaudebant dicentes: quia natum est in terris, &c.* Vbi etiam habetur Patres Limbi gavisos fuisse. De qua opinione, quatenus attinet ad gaudium animarum corpore solutarum, in vltimo Certamine sermo redibit. Modò agemus de gaudio Angelorum specialitèr. Hoc innuit Damascænus Orat. 1. de Nativit. Mariæ, vbi de die, quo orta est, ait: *Hodierno die præstarunt aures lætitiæ totius Orbis Provinciæ; lætentur Cœli, & exultet Terra.* Expressiùs S. Antoninus Florentiæ in opusculis B. Marię, c. 6. §. 1. inquiens: *Nativitas tua, Sancta Dei genitrix, gaudium annuntiavit Vniverso Mundo: videntes enim Angeli natam tam Sanctam Creaturam, magnum gaudium fecerunt.* Et paulò post: *Angelos suo dolentes modo de perditione Hominum, & de eorum ruina, Nativitas huius lætificavit.*

Subscribit Ambrosius Espiera in serm. de Sabbatis, Contione 2. in fine, relatus in 2. tomo Bybliot. Virginal. ait enim de Deipara: *In ea ipsa die, qua nata est, Angeli summam lætitiam faciunt.* Consonant S. Bernardinus Senens. serm. 4. de Conceptione, c. 3. alijque Sancti PP. & Doctores, quos foret prolixum recensere. Si ergo iuxta mentem Eccle-

Ecclesiæ,& SS. PP. constat Angelos singulari gaudio fuisse in Nativitate Dei genitricis perfusos, quid mirum è Cœlo fuisse prolapsos, vt eam adorarent?Numquid Angelis è Cœlo in terram descensus difficilis? *Foret iter* molestum,aut temporis spatium requirebat arduum? De extremo ad extremum iuxtaScholam Angelici Præceptoris; quin et ansirent per medium non valebant prolabi? Aut ne vt descenderent operę pretium erat Scala?Sanè iuxta PP. Scala dicitur Maria Cœlestis. Meminerit Author Censuræ, quod Scalam vidit Iacob in somnis Angelorum plenam commeatibus. Etsi,vt ait Augustinus hom.3. in 3. tom.Bibliothecæ Virginal. *Facta est Maria Scala Cœlestis, per quam descendit Deus ad terras.* Cur non potuit esse,cum nata esset,Scala Cęlestis,per quam descenderent Angeli?

Præterea rursus audiendus est S. Antoninus loco suprà laudato,vbi refert revelatum fuisse cuidam Eremitæ, Angelos quotannis in Cœlo Nativitatem Deiparæ à die illius celebrasse, & celebrare, ait enim: *Videntes enim Angeli natam tàm Sanctam Creaturam, magnum gaudium fecerunt,& ita quolibet anno in Cœlo fit, vt revelatum fuit cuidam Sancto Eremitæ.* Eamdem revelationem refert, eique subscribit Ambrosius Espiera laudatus,hæccine verba supra relatis addens: *Vnde legitur de quodam viro Sanctæ Vitæ, qui singulis annis præter solitam harmoniam quandam in nocte Nativitatis Virginis audiebat in Cœlis, qui cum super factum miraretur,quod non,nisi tali nocte,id sentiret, Deum oravit, vt quid hoc significaret, ostenderet: apparuit illi Angelus,& dixit: Virgo gloriosa;quæ Deum Dominum genuit,hac nocte nata, & Homines illam ignorant: factum nudat Pontifici, & ex inde celebris festivitas fuit in Ecclesia facta.* Rogo ergo nunquid difficilius Angelos Deiparam natam adorare,quàm eam natam solemnizare quotannis? Si igitur piè creditur secundum; quomodo tanquam omninò temerarium, licèt è revelatione assertum,respuitur primum? Numquid ex parte materiæ non vtrumque æquè facile,imo primum facilius?

Deinde auscultemus Sanctum Anselmum de Excellentia Virginis, cap.2. ita effantem: *Conjicio, apud me Nativitatem eius* (videlicèt Virginis) *magna quędam,atque miranda divinorum signorum indicia præcurrisse, quæ tamen illa fuerint, solus ipse sine scrupulo novit, qui eam antequam nasceretur,in Matrem elegit.* Igitur inter tot signa, cur locum obtinere non potuit Angelorum veneratio,& adoratio? Et quà ratione hoc improbari potest,asserente Persona probatissimæ virtutis, hoc fuissę sibi revelatum? Loculentius deducitur doctrina V. Matris ex Arnol. Carnotens. lib. de Laudibus Virg. dicente, *obsequium Angelorum patet fuisse ab eius Conceptione.* Si ergo Angeli Mariæ Virgini, statim vt concepta est,obsequium præbuere, cur ei iam natæ non se

sub-

subiecerint, atque humiliaverint; & consequenter quid obstat quod eam coluissent, & adorassent? Ipsam fuisse à beneplurimis Angelis sociatam ex primo instanti suæ Conceptionis, constabit ex dicendis in vltimo Certamine. Quid igitur magis consentaneum rationi, quàm quod statim ac veram Reginam, & Dominam suam inspexère in lucem mundi prodire, gaudentes obsequentissimè eam coluerint, atque adoraverint?

Dei genitrix à SS. Patribus asseritur simillima Christo: Christum statim vt natus est, exercitus Angelorum, quis neget quod coluerunt, & adorarunt? Consentaneum est igitur rationi quod etiam Angeli aliquo modo Deiparam, statim, vt ipsa nata est, adorassent: *Decet enim* (vt Damascænus inquit Orat. 1. de Nativitate B. Mariæ) *Dei Matrem ea, quæ Filij sunt possidere, & ab omnibus adorari.* Postremò si vt profert S. Ildephonsus serm. 3. de Assumptione: *Maria mortua celebrarunt Angeli exequias*, quidni, ipsa nata, eius celebrassent natalitia, eamque obsequentissimè coluissent, quod est adorare? Me herclè cum hæccine prærogativa nec in se repugnet, nec adversetur doctrinæ Ecclesiæ, aut Patrum, cumque cedat in gloriam, & honorem Mariæ; minimèque superet ineffabilem dignitatem Matris Dei, qua ratione, aut quo fundamento improbari posset, prorsus me latet.

PROPUGNACULUM ULTIMUM.

DEMONSTRATVR QVARTAM PROPOSITIONEM esse omninò consentaneam Sanctis Patribus.

QUarta Propositio confixa, est: quod *Angeli adoraverint eam in Throno Altissimi.* Sensus istius Propositionis, quantum ad adorationem, liquet, sicut & reliquę, ex 1. Propugnaculo. Quantum autem ad illud *In Throno Altissimi* aucupandus est ex eis, quæ profert V. Mater in 2. p. num. 100. Vbi describens locum, qui assignatus fuit Deiparæ in Empyreo, subdit: *Et fuit eminentior locus, & immediatior ipsi Deo præter illum, quem reservabat Humanitati Verbi.* Ex quibus constat, quod licèt in præsenti asserat Mariam evectam fuisse ad Altissimi Thronum, hoc tamen intelligendum est ita, vt fuerit in loco inferiori Deo. Modus verò, quo id fieri valeat in eodem Throno, docet Caietanus 3. p. q. 57. art. 5. Sed quidquid sit de hoc, præcautio, quam apposuit V. Mater prædicto loco, vbi asserit: *B. Virginem primum adorasse, & posteà adoratam fuisse tanquam puram creaturam Matrem Verbi Incarnati*; videlicet, *omnia illa esse iuxta nostrum modum concipiendi*, vt asserit num. 332. satis, superque pijssimam Authorem ab omni erroris absolvunt scrupulo.

His

; His prævisis, demonstremus, quid illa locutio, videlicèt, *B. Virginem evectam fuisse ad Altissimi thronum*, sit in SS. Patribus frequentissima. Et in primis sic frequentèr exponitur de Maria illud Regij Vatis Psalm. 44. *Astitit Regina à dextris tuis.* Et illud ipsum, quod Pijssima Author exponit, 3. Reg. cap. 2. *Salomon sedit suprà thronum suum, positusque thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram illius.* Deinde S. Augustinus serm. de Assumpt. *Tibi* (inquit) *Domina, thronus Regis gloria debetur.* S. Anselm. de Excellentia Virg. cap. 8. *Deus eam, secum cunctæ creaturæ perenni iure dominaturam, in throno Gloriæ suæ collocavit.* S. Hieron. ad Eustoch. fatit: *Quòd Salvator eam* (scilicèt Mariam) *cum gaudio secum in throno collocavit.* Et Serm. de Assumpt. *Vsque ad throni celsitudinem intemerata Mater Virgo processit.* Petrus Damian. serm. de Assumpt. *In qua Virgo Regalis ad thronum Dei Patris evehitur.* S. Bernardin. Senens. tom. 3. serm. 11. art. 3. *Sic ista Virgo gloriosa in potioribus bonis Filij sui Iesu iuxta ipsum in throno sublimata consedit.* Aliorum SS. Patrum testimonia taciturnitati committo. Illud tamen Apocalypsis cap. 3. v. 21. silentio non involvam. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* O mira Censura! Quæ vt venenato aculeo vnicam Vener. Matris Propositionem configat temeritatis, & falsitatis nota, transfigere tot tenetur SS. Patres!

COROLLARIA.

Ex dictis colliges incolumitatem doctrinæ V. Matris à tota hacce cine venenata Censura: etenim, quæ fides in alijs adhiberi poterit Censori, qui in præsenti Articulo haud dumtaxat opiniones satis probabiles de Sanctissima Virgine refigit; sed etiam, vt constat ex 1. Propugn. & falsissimè imponit Pijssimæ Authori, quòd adorationem Dei, & Virginis eisdem omninò explicarit terminis, & Propositionem damnat, quæ est prorsus iuxta dogmata Fidei. Undè si Censor esset notus in Regnis Hispaniæ, proculdubio ob hanc Censuram ad Sanctum Inquisitionis Tribunal deferendus foret, & damnandus, vt omninò favens, imò subscribens, Eunomio, Vigilantio, Vviclef, Luthero, Calvino, & alijs Hæreticis, relatis à Belarminio suprà laudato, asserentibus has Propositiones: *Virgo non est adoranda: Sancti, & Imagines non sunt adorandi.* Quarum contradictoriæ, nempè, *Virgo est adoranda: Sancti & Imagines sunt adorandi, & colendi*; Utpotè in his terminis definitæ à Concilijs, asseruntur de Fide à Theologis, qui posteà explicant adorationis modos, quos etiam satis explicuit V. Mater, vt constat ex dictis.

Colliges secundò, quod ex his nulli sanæ mentis potest evidentèr mo-

moraliter, non constare nomen Universitatis Parisiensis esse suppositirium. Imò colliges quod hanccine integro, Sacro, & Catholico Claustro Sorbonæ irrogare Censuram, fuit execrabile nefas. Unde ob hoc solùm, quando ab alijs posset rationibus præscindi, si Censuræ irrogator Hispanus sit, & detegeretur, vel à nostro Catholicissimo Rege, vel à Sancto Inquisitionis Tribunali, severissimè vsque ad extremum foret plectendus, & damnandus.

CERTAMEN QUARTUM.

REFERTVR PROPOSITIO CENSVRÆ subiecta in Articulo IV.

NUm. 112. Author loquens de Divino Verbo ante Incarnationem, ait: *Tunc primùm Verbum intercessit in nomine Humanitatis ante Deitatis thronum.*

CENSURA.

HÆc Propositio *malè sonat in fide, & iniuriosa est Divinitati Verbi.*

PROPUGNACULUM UNICUM.

DEMONSTRATVR DOCTRINAM VENER. MATRIS à tali Censurà esse prorsus immunem, eiusque modum loquendi omninò consentaneum communi calculo Theologorum, Conciliorum, & PP.

IN hoc Propugnaculo ita me geram. Primò, demonstrabo sensum intentum à Censura repugnare scriptis V. Matris. Secundò, demonstrabo verum sensum Propositionis consentaneum Theologis, Concilijs & Patribus. Tertiò, alias explicationes addam, iuxta quas textus intelligi posset, si opus esset. Igitur conatus Censuræ eò videtur tendere, vt V. Abbatissam de Agreda inducat in hæresim affinem illi, in quam Arrius & Macedonius sunt prolapsi, asserentes, Spiritum Sanctum non esse Patri æqualem, ex eo quod de ipso asseratur orare & intercedere pro nobis, cap. 8. ad Romanos. Ideoque dicit Author Censuræ, quod Propositio V. Matris derogat Divinitati Verbi.

Ast quam inconsulta hæc impostura sit, quantamque imperitiam in Authore Censuræ circa scripta V. Matris, aut libidinem damnandi temerariam, ostendat, nullus valebit non cognoscere, si pijssimam Authorem, Sacrosanctum Trinitatis Mysterium ad miraculum enodantem plurimis in locis Historiæ Deiparæ, legerit. Præcipuè in ipsa 1. P. ex qua sunt decerptæ Propositiones confixæ num.27. vbi de Divinitate,consubstantialitate,& æqualitate Divinarum Personarum, ita clarè, magnificè,& rectè senserit & scripserit,vt altius,rectius, & clarius iuxta Ecclesiæ, & Sanctorum PP. intelligentiam scripsisse videatur nemo. Deinde in 2. P. num.125. cum numero sequenti dictura esset Verbum intercessisse in nomine Humanitatis,hæc profert: *Suppono, quod inter tres Divinas Personas,vt docet Fides, quamvis distinctio Personarum datur, nulla tamen datur inæqualitas in Sapientia, in Omnipotentia, nec in cæteris attributis, sicut nec dari potest in substantia Divinæ naturæ.* Hanc ipsam æqualitatem Divinarum Personarum altissimè etiam exponit in 3.P. num.60. Quam vlterius fatetur in eadem P. num.66. propè medium. Deinde videantur in 1. P. num. 100.& num.515. & in 2. P. num.625. & num.126. in quibus omnibus, aut evidentèr supponit, aut expresse asserit æqualitatem Divinarum Personarum. Rursus, quod tres Divinæ Personæ sint æquales in operationibus, quæ dicuntur ad extra, docet pluribus locis in 1. P. numer.65. *Vbi habetur opera ad extra esse communia tribus Personis Divinis.* Et in 2. P. num.125. & in 3.P. num.60. In quibus omnibus numeris, & sic de alijs,nec apex, nec iota reperitur dissonum dogmatibus fidei, sed ferè omnia, quæ fides,& communis Theologorum calculus docent,ita mirificè exposita,vt eximium argumentum præbeant ad existimandum ex divina dumtaxat revelatione potuisse ita altè acquiri.

Ex his ineluctabile argumentum sumitur ad existimandum sensum intentum à Censura,non fuisse sensum V. Matris. Sed quia,vt propositio V. Matris vindicetur,relatis contextibus non egemus, demonstremus iam sensum genuinum illius iuxta mentem Theologorum,& PP. Censura igitur refert,quod pijssima Author de Verbo fatur ante Incarnationem. O libido damnandi! Verum est, quod fatur de Verbo Divino ante Incarnationem executivè, non verò intentivè: ante Incarnationem exercitam, non ante Incarnationem decretam: ante Incarnationem in actu à parte rei existentem, non verò ante Incarnationem ab æterno prævisam, & obiectivè intellectui divino præsentem. In c.4. 1.P. num.39. explicans V. Mater ordinem Divinorum Decretorum,profert instans,in quo decretum fuit Verbum incarnare. Ab hoc numero, vsque ad numerum 163. duodecimi Capi-

tuli ipsius Patr. Verbum Divinum, vt Incarnatum extat, prævisum ab intellectu divino ita, vt nullus hos numeros decurrens possit de hoc ambigere: & ita, vt ipsum Verbum Incarnatum prævisum, appelletur Christus, vt constat ex num. 39. 41. 46. 48. 56. Et sic ferè ex omnibus numeris, vsque ad num. 111. vbi multoties appellatur Christus, in cuius vltimis lineis, immediatis ad Propositionem confixam Censura num. 112. agitur expressis Verbis de Christo. Unde cum immediatè dicat Verbum intercessisse in nomine Humanitatis, evidens est loqui de Verbo Incarnato, & de Christo, vt ab æterno præviso. Quod amplius roboratur evidentèr ex ipso textu, vbi ait immediatè: *Quod Pater Æternus deliberavit de ista intercessione cum Personis Sanctissimæ Trinitatis, vnàcum ipsis decretum manifestans Divini Consistorij, scillicet Sanctissimæ Trinitatis Angelis.* Ergo cum dixit, Verbum intercessisse, locuta fuisset, non de Verbo præcisè quà Deus, seu præcisè quatenus Personæ naturæ Divinæ, sed de Verbo Incarnato præviso; aliàs quomodo posset asserere, quod intercessisset vt supplex, & quod ipsum, vt Iudex, vnàcum Patre Æterno deliberasset? Manifestum sanè est, quod Verbum consideretur ibi secundum diversam rationem, videlicèt cum intercedit tanquam Incarnatum prævisum; cum autem deliberat, tanquàm Filius Æterni Patris, cum Æterno Patre æqualis in natura omninò. Hoc totum amplius evidentèr roboratur, ex eo quod ista intercessio Verbi, est ipsa, quæ in numero antecedenti dicitur: *Vox Personæ Verbi.* Vbi additur, quod fuit *Vox Filij in nomine Humanitatis, quam assumpturus erat.* Et posteà, quod fuit *Quasi petitio ante thronum Sanctissimæ Trinitatis.* Unde cum ipsum Verbum sit vna ex Personis Sanctæ Trinitatis, & agatur in toto contextu de Verbo Incarnato præviso post decretum Incarnationis, indubitabile est, quod V. Mater loquitur de Verbo Divino, non solum vt Verbum Divinum est, sed vt Incarnato prævisivè. In quo sensu ita èst certùm intercessisse pro nobis, ac est certum in omnium Catholicorum consensu, ex eius meritis prævisis decreta fuisse, & Hominibus data dona cœlestis gratiæ, &c. Et ipsum nobis in hoc sensu meruisse. Vnde ratione istius intercessionis, id est, prævisionis meritorum Christi subdit posteà V. Mater num. 115. postquam retulit alia decreta, *prædestinatos decretos fuisse, & in numero certò assignatos, conscriptosque in memoria mentis Divinæ ratione meritorum prævisorum Domini nostri Iesu Christi.*

Quod V. Mater per intercessionem intelligat repræsentationem meritorum, etiam constat ex 2. P. num. 126. vbi ait: *Quod Persona Filij ante Divinum Consistorium Trinitatis in nomine ipsius Humanitatis, quam assumptura erat, vnam effecit petitionem, & propositionem repræsentando merita prævisa.* Quas petitiones, & intercessiones passim in-

se-

telligit V. Mater in signo, in quo Christus aliquid meruit iuxta sensum, in quo 1. P. num. 46. de Christo ab æterno prævisο, ait: *Et in hoc instanti meruit illis* (nempè Angelis) *Christus Dominus noster suis infinitis meritis præsentibus divino intellectui, & prævisis, omnem gratiam, quam recepturi fuissent.* In quibus omnibus valde notandum, quod Pijssima Author, à cap. 4. vbi incipit agere de ordine Divinorum Decretorum, sæpè sæpius repetit, *Quod agit iuxta nostrum modum concipiendi.* Quod ipsum repetit in præsenti num. 112. immediatè post Propositionem confixam.

His præsuppositis, eius doctrina consentanea est omninò Theologis, Concilijs, & Patribus. Nam quatenus dicit Verbum in nomine Humanitatis intercessisse, hoc est, repræsentasse sua merita, & Deum intuitu illorum beneficia, quæ ibi subsequuntur, decrevisse Hominibus, consonat his, quæ vniversalitèr Theologi admittunt, ex D. Thoma in 4. dist. 45. quæst. 3. art. 3. nempè quod petitio, oratio, aut intercessio potest esse duplex in Christo: alia interpretativa, & alia formalis. Interpretativa dicitur repræsentatio meritorum, quorum intuitu Deus confert Hominibus supernaturalia beneficia. Hanc acceptionem petitionis admittunt non dumtaxat Theologi, qui hunc dumtaxat modum petendi pro nobis assignant modò in Iesu Christo Domino nostro in Cœlis, quales sunt, Vazquez disp. 82. Hurtad. disp. 16. diffic. 5. Becan. Medina, Meraci, Valdius, Cardin. de Lugo; sed etiam Theologi, qui formalem, & expressam petitionem assignant modò in Christo, vt videre est apud Bernal de Incarn. disp. 59. sec. 2. §. 1. Mastrium, tom. 3. disp. 2. num. 339. Pontium, disp. 37. num. 64. & vniversalitèr Theologos huius opinionis sequaces; ergo optimè Vener. Mater sentit, Verbum Incarnatum prævisum pro nobis intercessisse in signo, in quo meruit nobis prædestinationem, & Deus illam decrevit intuitu meritorum prævisorum Christi.

Supposito autem, quod in tali signo fuerit Theologica, & vera hæc locutio, *Christus intercessit*: hæc locutio Verbum intercessit in nomine Humanitatis est omninò irreprehensibilis. Primò, quia per ly *in nomine Humanitatis* satis innuitur, quod fuerit repræsentando merita humanitatis, seu omninò ratione meritorum Humanitatis, iuxta intelligentiam illius, 1. ad Corint. cap. 6. vers. 11. *Iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi.* Secundò, quia supposito quod Christus prævisus intercessit, hæc propositio *Verbum intercessit*, necessariò debet admitti iuxta doctrinam omnium Theologorum Catholicorum admittentium communicationem idiomatum, etiam prædicatorum non essentialium ex Scriptura, Concilijs, & Patribus per prædicationes in concreto, cum D. Thoma in 3. p. art. 5. Scoto in

3. dist. 7. quæst. 1. & 2. D. Bonaventura ibidem, art. 1. quæst. 1. Suarez in 3. p. tom. 1. disp. 35. iuxta quorum mentem nemo Theologorum potest ambigere circa hanc Propositionem: *Verbum intercessit*, cum veræ sint hæ Propositiones: *Verbum est homo*: *Deus est visibilis in terris visus, & passus*, vt ostendit Bernal citatus. Ex his constat, quàm securissimus fuerit modus loquendi V. Matris. Sed vt amplius liqueat eius immunitas, producamus Doctorem Subtilem, qui in 3. dist. 19. num. 6. simili modo, quo loquitur V. Mater, fuit ipse locutus: *Et sicut Verbum* (inquit) *prævidit Passionem Patri offerendam, sic efficaciter obtulit in effectu*.

Simili locutione etiam quoad intercessionem vsus est D. Thomas lectione 4. super caput 7. ad Hebræos, vbi ait: *Interpellat pro nobis primo humanitatem suam, quam pro nobis assumpsit, repræsentando*. Adest Concilium Francofordiense in Libello Sacrosyllabo, colum. 6. explicans modum, quod Verbum petit, ait: *Quia carnem, quam pro nobis assumpsit, Patri semper manifestat*. Quod autem Verbum non quatenus hypostasis naturæ divinæ, sed quatenus hypostasis naturæ humanæ, dicatur pro nobis petere; constat etiam ex Damasceno, lib. 3. de fide Orthodoxa, cap. 4. ex Nacianç. orat. 38. quæ est de Christi Nativitate, ex S. Cirillo, lib. 12. Thesauri, cap. 15. ex Concilio Lateri sub Martin. I. conclus. 5. can. 4. & septima Synodo, act. 11. ex alijsque PP. & Concilijs, quorum testimonia apud Theologos referuntur passim. Satis, superque sit asserere, quod nullus Theologorum valet negare hanc Propositionem, *Verbum intercessit nomine Humanitatis*, esse admittendam; vbi verificetur Verbum Incarnatum, seu Christum intercessisse: cum in Scripturà Baruch cap. 3. v. 38. de Filio Dei Verbo Divino: *Post hæc in terris visus est, & cum Hominibus conversatus est*: licèt videri, & conversari sint idiomata Hominis; nec silentio involvendum illud Ioannis cap. 1. *Et Verbum caro factum est*. Ex hucusque dictis nulli non constabit Theologorum locutionem Venerabilis Matris omninò omnis expertem elucescere Censuræ.

Iam verò vt ad tertium, quod proposuimus, deveniamus; alios sensus, in quibus posset intelligi propositio, si opus esset, clarigemus, vt magis constet quàm audax sit Censura præsentem doctrinam configens, ex parte materiæ. Sanè admisso, quod Vener. Mater loqueretur de Verbo, vt subsistit in naturà divinà, posset, & deberet Catholicè intelligi omnibus, vel ferè omnibus modis, quibus intelligitur, & exponitur illud ad Roman. cap. 8. *Ipse Spiritus postulat pro nobis*, quatenus intelligitur de Spiritu Sancto: vt facit frequentior expositio, cum August. tract. 6. in Evang. Ioannis, & super Canonicam eiusdem: & epist. 121. cap. 14. S. Gregorius Nicæn. orat. 5. Theolo-

logiæ, S. Ambrof. epist. 25. ad Oront. è Regula S. Hieronymi, & Augustini, quam videntur accepisse à B. Didamo, lib. 3. de Spiritu Sanct. videlicèt, *quod vti absolutè ponitur Spiritus in Scripturis, de Spiritu Sancto est accipiendus & in bonam partem.* Vt probat Salmeron ad Rom. 8. disp. 18.

Igitur explicans hunc locum Cornel. à Lap. sic doctissimè ait: *Tertio genuinè Spiritus Sanctus postulat, id est, desideria amicorum suorum, eorumque gemitus inenarrabiles in Consistorio Sanctissimæ Trinitatis quasi Paraclytus, id est, advocatus noster, exponit magnâ instantiâ.* Et paulò post: *Exponit Spiritus Sanctus hæc vota, & hos gemitus nostros Sanctissimæ Trinitati, hoc ipso, quod illa per intellectionem cognoscit, & intellectu ea proloquitur cum affectu, & amore coram Sancta Trinitate.* Nunquid hæc locutio tanti Expositoris Sacri derogat Divinitati Spiritus Sancti? Nunquid non poterat sic intelligi illa propositio: *Verbum intercessit pro hominibus in nomine Humanitatis?* Quomodo ergo Censurâ configitur, vt derogans Divinitati Verbi?

Rursus si Spiritui Sancto attribuitur postulare pro nobis, quia movet ad postulandum, vt explicant D. Thom. & Aug. suprà citati, S. Gregorius, lib. 2. Mor. cap. 22. pariformitèr cum Verbum moveat, regat, & dignificet humanitatem, cur non poterat dici per appropriationem, intercedere pro nobis, quatenus facturus erat specialitèr per vnionem hypostaticam Christum, vt Hominem, intercedere, & interpellare pro nobis? Seu quia cum primum prævisa fuit ab æterno interpellatio, & intercessio Christi pro nobis, dicitur in hoc sensu Verbum tunc pro nobis intercessisse, & interpellasse? Qua ratione improbari posset hæc locutio tot Sanctis consona Patribus?

Omitto alium sensum, quod Doctissimus Salmeron explicat: *Quod Spiritus Sanctus interpellat pro nobis, per hæc verba: illa igitur bona, & optima Dei voluntas se ipsam modò quodam ineffabili pro sua creatura interpellat, & velut Mater à Filio offensa seipsam interpellat pro Filio. Quemadmodum etiam antequam res essent eductæ in suas naturas, dicitur Spiritus Dei ferri super aquas instar gallinæ incubantis, & foventis ova, quo nihil aliud rectius repræsentabat, quàm quod Spiritus ineffabili modò tanquam eniti, & parere vellet creaturas, atque orare, & exorare seipsum: vt rerum fines, & productiones produceret.* Hæc expositio, si arrideret, facilè nostræ Propositioni posset adaptari. Sed nec hàc opus est, nec alijs; sed solum illa, quam ex genuina mente V. Matris dilucidavimus. Reliquas verò recensui, vt liqueat quàm temerè damnet Authot Censuræ locutionem V. Matris, quà confixà, locutiones horum, & aliorum gravissimorum Interpretum, haud immunes possent evadere.

CO-

Ex dictis manifestè constat, Censuram esse dolosam, & temerariam. Dolosam, quia vbi ita perspicuum est, V. Matrem de Christo ab æterno prævisо, seu Verbo Incarnato obiectivè intellectui Diuino ab æterno præsenti, sermonem agere, vt ipsam legens, de hoc ambigere valeat nullus, Author Censuræ dolosè profert absolutè Authorem pijssimam loqui de Verbo Diuino ante Incarnationem. Temerariam, & in fide malè sonantem; quia locutionem ab omnibus Catholicis, communicationi idiomatum subscribentibus acceptam, tanquam derogantem Divinitati Verbi, protelat, & damnat: iuxta quod Scriptura, Concilia, & Patres, quæ aut eadem locutione, aut alijs similibus omninò vtuntur, esset protelanda, & damnanda.

Colliges secundo, etiam incredibile esse hanccine Censuram evulgatam ementitè non fuisse sub sacro Facultatis Parisiensis nomine: nullus siquidem sanæ mentis in suum valebit animum inducere, quod Universitas tanta in libris examinandis peritissima induceret hanc propositionem V. Matris in sensum, cuius oppositum ferè in omnibus lineis Scriptorum V. Matris reperitur. Quis credet Propositionem damnasse, quin legisset librum? Si legisset, imperitissima videretur, si immunitas propositionis V. Matris lateret ipsam; & omninò dolosa, si doctrinam ementiretur, vt eam configeret. Tantam ergo Universitatum Universitatem quis ausus erit mentis suæ penicillo dolosam procudere, & imperitam? Ego sanè aptiori opinione habere semper conabor totius tantam Theologiæ, & Orthodoxæ Religionis Magistram.

CERTAMEN V.

DOCTRINA REFERTUR CENSURÆ subiecta in V. Artic.

Pagina 204. 229. 230. 231. 232. (Hæccine paginæ dicuntur correspondere capitibus Primæ Partis 13. 24. 15. & numeris 186. 206. 209. 201. 211. 213.)

CENSURA.

§ In hisce paginis continentur Propositiones *Castarum aurium offensivæ.*

PRO-

DEMONSTRATUR, DOCTRINAM V. MATRIS, *vt extat in praallegatis numeris, esse à tali Censura prorsus alienam.*

A Censuræ castigatione brevitèr me expedire possem, Lectorem mittens in capita præallegata, & numeros: nullus enim oculis quantumvis lynceis capita,& numeros scrutetur præallegata, aliquid castarum aurium offensivum, valebit percipere, nisi existimet fortassè prærogativas Purisimæ Conceptionis Deiparę SS. Patribus valdè consentaneas,Authoribusque alijs probatisimis probatissimas, castas aures offendere. Ast cum hoc existimet Censuræ Author, ipse est, non doctrina V. Matris, qui Censurà sua castas aures Catholicorum, & cultorum piorum Deiparæ maximè offendit.

His non obstantibus, vt methodo satisfaciam, & amplius damnandi libidinem, ausumque in hoccine Aristarcho manifestem, brevitèr numeros præallegatos decurram, dissonantiæque Censuræ à Patribus, & ab opinionibus probatissimorum Authorum nec parcam. Igitur num. 186. continetur, quod *Post Conceptionem seminis,& ante infusionem animæ SS. Virginis B. Anna altissima fuit perfusa contemplatione Dei, in qua ipse Deus se manifestavit, magnasque præstitit intelligentias.* In quo etiam numero dicitur, quod *Deus manifestavit B. Annæ ipsius filiam extituram Matrem Filij Dei vnigeniti.* Sed nunquid ausus erit dicere aliquis Catholicus, & pius Mariæ cultor hæccine castarum esse offensiva aurium? Quid rationi conformius? Quid verosimilius, quàm Deum hæccine contulisse suæ Sanctissimæ Genitricis Matri? Recreat Deus altisimis contemplationibus, manifestationibusque sui ipsius, & eximijs revelationibus animas singulari virtute præditas, vt in tot liquet Sanctis, & Censoris aures offendit, quod hoc ipsum Sanctissimæ Annæ,Matri Dei Genitricis præstarit?

Sanè altiora exhibita à Deo parentibus Sanctissimæ Virginis, Authoribus attestantibus magni ponderis, auscultet, & perpendat Censuræ Author. Audiat Fulbertum Carnotensem, Serm. de Nativit. Virg. *Quanta*,inquit, *putemus provisio Angelorum circa tàm Deo gratissimos Parentes, ab initio suæ Conceptionis, & excubatio super tàm ingentem sobolem? Nulli fidelium dubium est, quod circa eam iam tunc omnis frequentia cœlestium agminum invigilabat.* Audiat B. Amadæum Episcopum Lausen. raptu 4. *Scito,& animadverte* (inquit Archangelus Gabriel ad Amadæum) *amice Dei, me Gabrielem, & alios socios meos quam plurimos nocte illa, qua Genitrix Domini nostri Iesu Christi*

fuit

fuit concepta, adfuisse, & cooperatos fuisse miro, & ineffabili modo circa materiam Conceptionis illius Purissimæ. Audiat Doctissimum Galatinum, lib. 7. de Archan. cap. 8. post initium, sic fantem: *Beatus Iochim, & Anna ob ardentem devotionem, vehementemque contemplationem qua vnanimitèr in generationem Beatissimæ Virginis intenti ambo tenebantur: fomes in illo actu penitùs extinctus fuit.* Galatino adiungi potest Spinellus in suo throno, cap. 18. qui sub num. 8. ita inquit: *Parentes Sanctissimæ Virginis amore spirituali ebrij, sed tamen optimè cognoscentes, quid faciebant non sensere, ex Dei privilegio effrænatam illam concupiscentiæ voluptatem.* Similia habet S. Brigitta, lib. 6. revel. cap. 55.

Igitur si in Conceptione B. Virginis eius Parentes divinitùs fuere altissima Dei contemplatione suffulti, quid mirum, quod hoc profetar pijssima Author de Beata Anna post Conceptionem? Et si fuit tanta provisio Angelorum super Parentes Sanctissimæ Virginis, cum convenerunt matrimonialitèr; quid mirum, quod Deus Beatam Annam post Conceptionem eximijs contemplationis, & revelationis beneficijs cumulaverit? Sanè vt Authores tenent plurimi, cum Sancta Brigitta, lib. 1. cap. 9. *Parentibus Beatæ Mariæ revelavit Deus per Angelum* (quem dicit V. Mater fuisse Gabrielem, quod idem Authores benè multi asserunt ex Pantaleone in orat. de S. Michaele apud Metaphrastem) *conceptum Sanctissimæ Virginis.* Quid ergo mirum quod Deus posteà revelaverit Beatæ Annæ filiam conceptam, sui vnigeniti exituram Matrem? Nunquid magis repugnans, aut rationi minus conformis vna revelatio, quàm altera?

Ex his propugnata liquent cuncta, quæ num. 206. faxit V. Mater: vbi supposita quadam Angelorum caterva in Custodiam Dei Genitricis conceptæ designata, asseritur, quod *Hoc fecit Deus aliquomodo ex iustitiâ distributivâ, in banceine Custodiam designans Angelos ratione maioris affectus, quo amplexi sunt arcana Incarnationis, & Dei Genitricis, ipsis post eorum creationem revelata.* Vbi additur, *quod hæc custodia fuit illis tanquam præmium accidentale.* Hæc doctrina circa multitudinem Angelorum constat ex dictis, & constabit diffusius ex dicendis in vltimo Certamine, Propugn. 3. Quantum attinet ad cognitionem arcanorum Incarnationis, liquet ex Certamine 3. Propugnac. 2. Illud de accidentali præmio modo examinandum.

Sed nunquid Beatissima Virgo non concipiebatur, vt esset Dei Genitrix, & ideo non agnoscebatur ab Angelis iam vt Suprema Domina, & Angelorum Regina? Nobilissimi Hæroes non magni pendunt, quod Rex eorum in speciale ipsos eligat obsequium Reginæ? Hoc ab hominibus non accipitur tanquam honor, tanquam condeco-

ra-

ratio, & tanquam præmium? Quidni ergo Custodia Dei Genitricis Cœli, Terræque Reginæ, tanquam accidentale præmium donata fuerit Cœlestibus Spiritibus? Quod Gabriel nuntius extiterit in Incarnatione Verbi non est argumentum eius dignitatis, & celsitudinis? Et quis neget, quod ipse de haccine electione sua fuerit gavisus? Seu quod hoc fuerit munere functus, ex speciali dilectione Dei erga illum? Ideo plures illum asserunt ex Ordine Seraphinorum esse, vt censet noster Guerra Episcopus Gaditanus, 1.tom.discurs.2.fragm.3.punct. 2. post initium. Quis ergo neget quod hæc electio fuerit illi tanquam præmium accidentale? Et hoc supposito, quis improbabit, quod munus custodiendi Dei genitricem, fuerit Angelis tanquam accidentale præmium?

Deinde vt constabit ex dicendis in vltimo Certamine, ex S. Vincentio Ferrariensi, serm. 2. de Nativitate, & S. Antonino Florentiæ, in opusculis, serm. de Conceptione: Angeli de Conceptione Mariæ ita gavisi sunt, vt festum egerint in Cœlis. Et vt liquet ex Certamine 3. Propugnaculo 3. idem fecere, cum Dei Genitrix est nata. Si ergo de Conceptione, & Nativitate Deiparæ, accidentale omnes Angeli adepti sunt gaudium, quid mirum, quod eius Custodia speciale gaudium Angelis designatis contulerit; & consequentèr, quod extiterit quasi præmium eorum accidentale: Vbi perpendendum est V. Matrem non asserere absolutè fuisse præmium accidentale, sed *quasi premium accidentale.*

Comprehenditur etiam num.186. quod *Ante infusionem Animæ Virginis Deus purificavit Beatam Annam, & partem inferiorem Corporis valde mundavit*: quod exactissimo & limpidissimo verbo Hispanico explicuit pijssima Author, videlicèt, *espiritualizò*. Deinde num.209. 210. 211. dicitur, *Quod Deus in Conceptione Virginis abstulit imperfectum, & dereliquit, quod necessarium erat naturæ in administrationem materiæ*: quòd *modus Conceptionis fuit gubernatus ex Divina Gratia*: quòd *Conceptio fuit miraculosa ex parte Sanctæ Annæ, & similitèr ex parte Beati Ioachim*. Hæc tamen omnia, in quæ coincidunt, quot Propositiones comprehenduntur numeris præallegatis, adeò altè, vocibusque adeò castissimis, proponuntur à V. Abbatissa, vt argumentum præbeant existimandi non posse non esse revelata: & adeo sunt Sanctis PP. consona, vt nulli ipsos legenti digna Censura videri valeat.

Aures autem Censuræ Author præbeat D. Damasceno, orat. 1. de Nativit. Virg. vbi sic ait de Maria: *Vt ostenderetur ex sterili Matre Virginem, non ex carnis concupiscentia, sed ex Divina Gratia mirabilitèr operante, fuisse ortam.* Idem ibidem: *Forte illud excelsum brachium obtusum naturæ ligonem Spiritu Sancto, tanquam digito suo excucns, vi-*

vam Scalam sibi ipsi condidit. Fulbertus Carnotens. serm. de Ortu Virginis: *In huius Conceptione necessaria haud dubium est, quin vtrumque Parentem viuificus, & ardens Spiritus singulari munere repleverit.* Et ipse Damascenus supra relatus: *O praeclaram Annae vuluam, in qua tacitis incrementis ex ea auctus, atque formatus fuit fœtus Sanctissimus!* S. Germanus, orat. 2. de Præsent. Virg. agens de modo quo seminalitèr concepit Anna Dei Genitricem, ait: *Statim igitur natura à Deo iussa fœtum accepit: non enim ipsa ante gratiam ausa est accipere, sed præueniente illa.* S. Brigitta, lib. 1. cap. 9. inducit B. Virginem ita de sua Conceptione fantem: *Tamen pro certò dico tibi, quod ex charitate diuina, & ex verbo Angeli nuntiantis, non ex concupiscentia aliqua voluntatis, sed contra voluntatem suam ex diuina dilectione, & sic ex semine eorum per diuinam charitatem caro mea compaginata.*

Ex his satis constat quantum consonent dictis Sanctorum Patrum dicta V. Matris in supradictis numeris. Constat enim, quod Conceptio B. Virginis fuerit miraculosa, Spiritu Sancto, & Diuina gratia mirabilitèr in ea operantibus. Constat, quod ex vulua B. Annæ *tacitis incrementis fœtus fuerit auctus.* Quod satis consonat Purificationi, quam tribuit V. Mater Beatæ Annæ post Conceptionem seminis. Quod amplius constabit ex dicendis Certamine 11. vbi propugnabitur, quod semen fuit purificatum, & absque libidine; quo supposito, omnino videtur rationi consentaneum, quod vulua Beatæ Annæ purificata fuerit, & mundatum corpus. Nec mirandum quod Omnipotens Deus hanccine purificationem contulerit corpori B. Annæ, cum adhuc erat inanimis materia, seu Corpus Sanctissimæ Virginis, si attendamus, vt dixit Canisius, lib. 1. de B. Virg. cap. 7. *Materiam inanimem, nondum animatæ Deiparæ, supra omnia corporea à Deo dilectam fuisse.* Et Galatinus, lib. 7. de Arcanis, cap. 6. propè finem: *Necesse fuit, materiam B. Virginis statim in suà Conceptione omnes perfectiones, quas capere poterat, sortitam fuisse.* Quis autem neget, quod purificatio corporis B. Annæ valde consentanea fuerit perfectioni materiæ, & Corporis non dum animati Deiparæ? Quis neget, quod talis purificatio appareat omninò decens, & congrua, vt infunderetur illa præcellentissima Anima Matris ipsius Dei. Sanè nullum ex his miris respuere potest quicumque assentiatur magno Parenti Anselmo, quib. lib. de Conceptione B. Mariæ, cap. 1. profert: *Non absurdè credi potest primordia Conceptionis eius tanta diuinitatis sublimitate præsignata, vt humanarum Conceptio mentium ea clarè penetrare non valeret.*

In num. 213. asserit V. Mater quod *Conceptio seminis fuit sine libidine, & concupiscentia Parentum.* Hoc iam constat ex dictis, & diffusè dilucidabitur Certamine 11. iam citato. Asserit etiam, quod

Actio

Actio generandi in Parentibus Deiparæ fuit meritoria. Hoc etiam liquet ex supradictis, specialitèr ex revelatione laudata B. Brigittæ: & confirmatur expressè ex S. Damascæno loco supra laudato, vbi ait alloquens Parentes Dei Genitricis: *Castè enim, & sanctè munere vestro functi Virginitatis Thesaurum produxistis.* Ratio autem est manifesta, quia cum Parentes Deiparæ ad eius generationem convenerint, non ex concupiscentia, aut libidine, sed ex verbo Angeli nuntiantis, actio non potuit non esse meritoria. Consonat D. Bonaventura in 3. dist. 3. art. 1. q. 1. ad 4. argumentum, vbi ait: *Quod talis coitus coniugalis fuit omninò expers actualis culpæ.* Unde satis deducitur, quod fuerit meritorius.

Solùm restat examinanda sequens Propositio, videlicèt, quod *Ex eo, quod Conceptio activa fuerit sine imperfectione, & meritoria, hoc est, sine libidine, potuit optimè hac ratione non resultare peccatum originale.* Hoc ipsum, non solùm defenditur à plurimis Theologis modernis, & Authoribus, quorum aliqui videri possunt apud Guerram nostrum Episcopum Gaditanum, tom. 1. discurs. 2. fragm. 1. sed etiam expressùm est in SS. Patribus. In Anselmo, de Conceptione Virg. cap. 19. Ex cuius auctoritate Scotus, in 2. dist. 31. & 32. quæst. vnica, satis innuit hanc sententiam, ait enim, *Quod duæ sunt rationes, quare Christus non contraxit peccatum originale: quarum vna sufficeret sine alterà; vna, quia purgata fuit eius caro in B. Virgine. Secunda, quia non erat filius naturalis Adæ, & ideò non obligatur in Adam.* Deinde ibidem, q. 3. *Anima contrahit mediante carne, non ita quod caro, per qualitatem aliquam causatam in ea, causet peccatum originale, sed ex hoc quod caro concupiscibilitèr seminatur, & ex ipsa formatur corpus organicum, cui infunditur anima.* Consonat Aug. pluribus in locis. Audiatur de fide ad Petrum, p. 1. q. 24. & habetur de consecratione, dist. 4. cap. Firmissimè tene, ibi: *Omnes cum libidine, aut voluptate coitus geniti cum peccato originali concipiuntur.*

Deinde de fide ad Petrum, cap. 2. expressè docet hanc sententiam per hæc verba: *Quia dum sibi invicem vir, mulierque miscentur, vt filios generent, sine libidine non est parentum concubitus, ob hoc filiorum ex eorum carne nascentium non potest sine peccato esse conceptus: vbi peccatum in parvulos non transmittit propagatio, sed libido. Nec fæcunditas humanæ naturæ facit Homines cum peccato nasci, sed fæditas libidinis, quam Homines habent ex illius primi iustitiæ condenatione peccati.* Consonat Magist. Sent. in 2. dist. 20. & 21. Hanc sententiam pro viribus defensat noster Card. Aureolus in suo opere de Concept. B. Virgin. Mariæ tractatu repercussorio, conclus. 4. & alij plures Theologi vt Gabriel in 2. dist. 30. q. 2. art. 1. & 2. conclus. 6. Guillelmus Pari-

siens,

fient. Henricus de Gandavo, existimantes ex concupiscentia, & libidine seminis remanere aliquam infectionem, quæ maculat. Quid autem sit hæc infectio, ad præsens non attinet, quia ad illationem V. Matris sufficit, quod Sancti Patres, & Theologi præallegati sentiant ex concupiscentia, & libidine resultare peccatum originale: nec aliquis Theologorum ambigere potest, quod hęccine sententia inconcussa mens fuerit magni Parentis Augustini.

Ex his liquet, quod doctrina V. Matris sit prorsus immunis à Censurà, vtporè tanto pondere suffulta PP. & Theologorum. Vbi animadvertendum quod cum V. Mater non explicet, *nisi quòd ex defectu libidinis, & concupiscentiæ optimè potuit non resultare peccatum originale in Conceptione Virginis*, doctrina, quam supponit de transfusione peccati originalis, mediante propagatione libidinosa, & imperfecta, tanquam conditione necessaria, locum obtinet, sive ista conditio explicetur in aliquo sensu phisico, sive solum moralitèr, per hoc, videlicèt, quod libido, & concupiscentia fuerit conditio inclusa in pacto de contrahendo peccatum Adami à posteris Adæ per seminalem propagationem. Sanè hæc doctrina haud reprehendi, sed extolli, & magnifieri à cultoribus Deiparæ debebat in V. Matre: siquidem geminat modos propugnandi puritatem origineam Mariæ: & ita dixit pijssima Author, quod iam alio modo determinaverat Divina Providentia præservare Verbiparam ab originea traduci labe.

COROLLARIA.

EX dictis colliges, quàm iniuriosa, & inconsiderata sit Censura: siquidem nihil castarum aurium offensivum in prædictis locis determinatè assignans, omnia, quæ in illis profert V. Mater, finit tanquam obscæna, & horrorosa excogitanda. Unde dum auribus parcit pondere macularum mentes premit, honori, & pudicitiæ humillimæ Authoris temerariè detrahens, quæ nihil non honestum, nihil castissimis non prolatum vocibus, in omnibus suis scriptis refert. Colliges secundo, nomen Sacræ Facultatis Parisiensis in haccine Censura esse ementitum: incredibile enim est, quod tanta Universitas antesignana propugnantium scholasticè, & ex voto origineam Mariæ puritatem, damnallet numeros, qui nihil aliud continent, quam prærogativas Conceptionis Marianæ immaculatæ, SS. Patribus omninò consonas, & passim ab Authoribus pie propugnatas. De quibus videre sufficiat Illustrissimum Samaniego in Notis ad numeros, & capita præallegata.

CER-

REFERTVR DOCTRINA CENSVRÆ subiecta in Articulo 6.

AUthor de Maria Sanctissimâ proloquens num. 251. ita ait: *Descendit exornata, & ditata per Deum, qui illi contulit omne, quod voluit, & qui voluit dare illi omne, quod potuit, & potuit illi conferre omne id quod non est esse Dei.*

CENSURA.

CVm ea dona Deus Beatissimæ Virgini contulerit, quæ secundum ordinem Sapientiæ suę ipsi conferri decebat, & in Evangelio manifestum sit, Deum non omnia ei contulisse, quæ conferre potuit: hæc doctrina falsa est, & temeraria, & Evangelicæ doctrinæ contraria.

PROPUGNACULUM PRIMUM.

DEMONSTRATVR, PROPOSITIONEM V. MATRIS, quæ Censurâ configitur, esse expressam ferè omnium SS. Patrum.

HÆc est Propositio, quę Censura configitur: *Deus contulit Verbiparæ omne, quod potuit.* Quod nulli dubium potest esse, intelligendum esse de perfectione. Constat ex toto contextu V. Matris, nec circa hoc dubitat Censura. Igitur illa Propositio confixa eadem omninò est ac ista: Deus contulit Verbiparæ omnes perfectiones possibiles puræ creaturæ; & eadem cum ista: Nihil perfectionis excogitari potest possibilis puræ creaturæ, quod Deus non contulerit suæ Matri. Sed in has Propositiones collimat SS. Patrum communissimus consensus; imò eisdem terminis has, vel omninò similes Propositiones propalat: ergo propositio V. Matris Censurâ confixa est expressa mens, & communis SS. Patrum. Vt minorem clarigemus, operę pretium est in arenam SS. testimonia Patrum prosilire.

S. Anselm. de Concept. Virgin. & de peccato origin. cap. 18. *Decens erat*, inquit, *vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Idem S. Anselm. de excellentia Virg. *Rogemus te, Domina, per ipsam gratiam, qua te Pius, & Omnipotens Deus sic exalta-*

ta-

tavit, & omnia tibi secum possibilia esse donavit. Quid expressius? S. Chrisost. in Breviario, die 12. Septemb. sic de Maria, ait: *Quidnam illa maius, aut illustrius vllo vnquam tempore inventum est, seu aliquando inveniri poterit?* Et inferiusculè postquam asseruisset Deiparam superiorem omnibus Sanctis & omnibus Angelis, subdit de ipsâ Maria: *Denique non aliud quidquam inter creaturas visibiles, aut invisibiles maius, aut excellentius inveniri potest.* Sanctus Bernard. serm. de Nativitate Mariæ, ait: *Quod Deus totius boni plenitudinem posuit in Maria.* Idem S. Bernard. serm. in signum mag. ait de Deipara: *Profundissima Divinæ Sapientiæ vltra quàm credi valeat, penetravit abyssum, vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, videatur immensa.*

S. Basil. Seleutiæ, orat. de Annuntiat. Virg. *O Sacrosancta Virgo, de qua, qui omnia illustria, & gloriosa dixerit, nunquam quidem à veritatis scopo aberrabit; attamen dignitatis magnitudinem nulla vnquam ratione exequabit.* Idiota, de contempl. B. Virg. Mariæ, cap. 2. in Bibliot. Vit. PP. tom. 9. *Tuæ gloriosæ animę nihil vnquam adfuit turpitudinis, vitij, aut peccati, & nihil defuit spiritualis pulchritudinis, gratiæ, ac virtutis.* Et posteà: *In summa nullo genere vacasti virtutum, sed adest omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum, & cœlestium donorum.* Ioannes Taulerus serm. in festo Purif. B. Virg. *Cuius nimirum supra tanta Angelorum munditiam puritas fuit, vt sub Deo maior intelligi non potest.*

S. Athanas. Epist. ad Epytect. *Idcircò gratia plena connominata est; eo quod adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratijs abundarit.* Sophron. serm. de Assumpt. apud D. Hieron. *Verè hortus deliciarum* (ait de Maria) *in quo consita sunt vniversa florum genera, & ornamenta virtutum.* S. Antoninus de Florent. 4. p. titul. 15. cap. 16. ait de Maria: *Ipsa est plena omni gratia, cuius particeps potest esse pura creatura.* Et ibidem, cap. 2. *Sua gratia tanta fuit, quod pura creatura maioris gratiæ capax non fuit.*

S. Thomàs, 1. sent. dist. 44. art. 3. ad tert. *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideò potest aliquid inveniri, quod nihil purius inveniri potest in rebus creatis:::: Et talis fuit puritas B. Mariæ Virginis.* Idem S. Thomàs, 1. p. q. 27. art. 6. *Humanitas Christi, vt vnita Verbo, & B. Virgo ex eo, quod est Mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam, & ex hac parte nihil potest fieri melius.* Hoc ipsum innuit Damascęnus, orat. 1. de Dormit. Virginis, inquiens: *Dei Matris & servorum eius infinitum est discrimen.*

S. Bonaventura serm. 3. de Deipara: *Beata Virgo tàm Deo proxima fuit, tantaque Sanctitate resplenduit, & sic bonorum omnium culmen obti-*

obtinuit, vt creatura aliqua, non vnita verbo, capax maioris boni non sit; nam si maioris boni creatura aliqua capax fuisset, quod Anselmus dicit, verum non fuisset, qua maior sub Deo nequiret intelligi. S. Bernardinus, serm. de Exaltatione Virg. in gloria, art. 1. cap. 10. *Tanta gratia Virgini à Deo data est, quanta vni creaturæ dari possibile esset pura.* Et serm. de Concept. art. 3. cap. 3. *In pura creatura supra B. Virginem non est possibilis status.* Et tom. 1. serm. 61. *Oportuit enim, vt sic dicam, fœminam, scilicèt, Mariam elevari ad quamdam æqualitatem divinam, per quamdam quasi infinitatem perfectionum, & gratiarum.*

S. Thomàs de Villanova serm. 2. de Nativit. Virg. ita devotissimè ait: *Solve cogitationibus habenas, dilata intellectui fimbrias, & scribe apud te in animo Virginem quamdam purissimam, prudentissimam, pulcherrimam, omni gratia plenam, omnibus charismatibus decoratam, omnibus virtutibus ornatam, Deo gratissimam: quantum potes, tantum auge: quantum vales, tantum aude: maior est ista Virgo, excellentior est ista Virgo, & superior, non eam Spiritus Sanctus litteris descripsit, sed tibi eam animo depingendam reliquit, vt intelligas nihil gratiæ, aut perfectionis, aut gloriæ, quàm animus in pura creatura concipere possit, defuisse.*

In Propositiones similes relatas alij Sancti PP. frequentissimè collimant, quorum testimonia obvia sunt in Authoribus de Deipara scribentibus: modò silentio non involuam vnum Doctorum, & primarium Salmanticensem, Illustrissimum Dominum Augustinum Antolinez, Episcopum Civitatensem, Compostellanumque Archiepiscopum, qui in approbatione libri de Conceptione editi ab Episcopo Archipensi, & Propositionem V. Matris profert, & simul regulam iuxta quam est intelligenda, ait enim: *Si non ostendatur impossibilitas, tribuendum Deiparæ quidquid decens fuerit; onus probandi indecentiam transmittendum in adversarios.*

Adsint pro coronide duo maiores omni laude DD. Parisienses famigeratissimi, videlicèt Gersonius, Chancellarius Parisiensis, super Magnificat, cap. 10. vbi ait de Deipara: *Est instar pelagi infiniti, cuius quantitatem, non molis, sed virtutis accipientibus, semper vltrà contigit accipere.* Et Card. Richeliæus Parisiensis Doctor, qui lib. de Perfect. Christian. cap. 32. probans beneficium altissimæ contemplationis in Maria, ait: *Quia sufficit quod de possibilitate beneficij constet, ne dubitetur de concessione.*

Ex hucusque dictis manifestè liquet, quod propositio, & locutio V. Matris sit iuxta mentem, & frequentem locutionem SS. Patrum: nam in omnibus auctoritatibus adductis, vel ipsamet locutio habetur expressè, vel alia omninò similis, aut æquivalens: nam si aliquid non potest fieri melius Virgine, vt dicunt D. Thomas, & alij: si creatura ali-

aliqua, non vnita verbo, capax maioris perfectionis non sit, vt dicunt S. Bonavent. & S. Antoninus, cui Propositioni æquivalet necessario, vt constat ex D. Bonavent. illa Anselmi, & aliorum: *qua maior sub Deo nequit intelligi*. Si Deus omnes perfectiones dedit Mariæ, vt alij dicunt, seu omnia illustria, vt alij propalant: si nihil perfectionis, gratiæ, & virtutis defuit Mariæ, vt dicunt Idi... & alij: ex his omnibus manifestè infertur, quod Deus ex perfectionibus dedit Deiparæ omne, quod potuit. Hoc ipsum satis infertur ex omnibus his, qui dicunt Deiparam habere dignitatem, seu perfectionem infinitam, vt constat ex D. Thom. & Gersonio.

Igitur cum locutio V. Matris, confixa Censurà, frequentissima sit Patrum, & Authorum, aut ipsa à Censura eximenda, aut dicta SS. Patrum, & Authorum reprobanda. Intendere secundum nefas. Scrutandus est igitur sensus V. Matris iuxta SS. PP. mentem, & ita simul elucescet immunis, & sensus V. Matris, & SS. Patrum sensus.

PROPUGNACULUM SECUNDUM.

DEMONSTRATVR MVLTIPLICI MODO SENSVS Propositionis V. Matris iuxta mentem SS. PP. & Theologorum.

VT genuinus sensus Propositionis V. Matris percipiatur, animadvertendum, quod scopus pijssimæ Authoris in toto illo numero est persuadere, Conceptionem B. Virginis fuisse immaculatam. Quod conatur ostendere iuxta illud Apocalypsis 21. *Vidi Civitatem novam descendentem de Cælo, &c. Præparatam, tanquam Sponsam, & ornatam viro suo*. Proferens, ipsam Virginem descendisse ornatam, & præparatam in sua Conceptione, vt esset Sponsa digna Dei, & Mater digna. Unde cum dixisset, quod Maria inter omnes dicitur vnica, & dicitur electa, subdit, quod in sua Conceptione *descendit ornata, & præparata Deo, qui dedit illi omne, quod voluit: & qui voluit dare illi omne, quod potuit: & potuit illi conferre omne, quod non est esse Dei, nempè immediatius Divinitati, & distantius à peccato, quod pura creatura capere potuit*.

Ex his fidelissimè relatis constat, quod V. Mater relinquat Virginem in ordine inferiori Filio suo Domino nostro Iesu Christo, & quod eius intentum sit, B. Virginem habuisse omnia congrua, & conducentia ad dignitatem *Maternitatis* Dei, quod ita evidentèr constabit legenti textum, vt nullus de hoc ambigere valeat. Hoc supposito.

EX.

Sensus genuinus V. Matris ita potest exponi. In instanti, in quo Virgo fuit concepta, Deus *voluit dare illi omne, quod potuit*, quia dedit illi omnia, quæ ratio exigebat, vt conciperetur tam quam digna Mater, & digna Sponsa. Iuxta quam explicationem, ex mente S. Anselmi necesse est fateri, quod Deus dedit Deiparæ omnia, quæ voluit, & quæ potuit; quia vt ait S. Anselmus in Epist. ad Coepiscopos, cap. 7. *Deus contra rationem facere nec potuit, nec voluit*. Et S. Greg. Nac. lib. 4. Theol. *Impossibile etiam dicitur, quod minimè æquum est, rationique consentaneum*. Demonstratur hic sensus ex mente S. Anselmi: nam loco prææallegato asserens, quod Deus non potuit de alia Virgine nasci, subdit: *Fateatur, quod Deus, non nisi per Virginem, & per hanc potissimam Virginem mundum restaurare potuit, non potuit alitèr, quia non voluit; noluit, quia ratio non fuit*. Ergo similitèr potuit dicere V. Mater: dedit ei omnia, quæ potuit, quia pro tali instanti non potuit dare plus; non potuit, quia noluit; noluit, quia ratio non fuit: & quomodo„ cumque explicetur, quod hæc propositio sit vera: Deus non potuit „ de alia Virgine nasci, pariformitèr explicabitur: Deus in instanti, in „ quo Mater sua fuit concepta, tot gratias dedit illi, vt pro tali instan„ ti plura non potuerit illi dare; & consequentèr dedit ei omnia, quæ „ potuit.

Quod autem hic sensus non benignè sit applicatus V. Matri; sed necessario, & ex iure, quicumque illum numerum legerit, fateatur necesse est; vbi cuncta, quæ profert, collimant ad persuadendum, quod Sanctissima Virgo debuit concepi cum omnibus perfectionibus congruis Maternitati Dei, pro tali instanti ad talem Maternitatem conducentibus. Similitèr quod in tali propositione non vtatur verbo *potuit* in alio sensu, constat ex scriptis V. Matris passim; ex quibus liquet iuxta discursum vitæ Deiparæ, quod Sanctissima Virgo non omnes gratias, quas in hac Vita obtinuit, obtinuerit à primo instanti Conceptionis. Petatur exemplum à visione clarà Dei, quam non concedit Mariæ in primo instanti, licèt ab alijs concedatur; & refert quod habuerit illam in Nativitate, alijsque occasionibus.

Hoc ipsum amplius manifestè constat ex 2. Part. num. 84. vbi inducitur à V. Matre Maria Virgo, dicens: *Et quamquam liberalissima manus Dei nulli vnquam creaturæ tot, tantaque dona sit largitura, quot mihi concessit, id non ita dispositum est, quia alitèr non potuit, sed quia iuxta Sapientiæ suæ consilia ita ipsi placitum est, atque per voluntatem illius definitum*. Quid loculentius hoc contextu ad præsentem Propositionis explanationem iuxta Anselmi mentem? Igitur inquit modò V.

V. Mater: Dedit Deus Deiparæ in eius Conceptione *omnia, quę potuit*, id est, omnia, quæ ab æterno per suam voluntatem iuxta Sapientiæ suæ consilia erant definita. Unde verissimum est, quod dedit ei pro tali instanti omnia, quæ voluit dare illi pro tali instanti: & quod dedit illi omnia, quæ potuit: quia dedit illi omnia, quæ pro tali instanti iuxta rationem decreverat dare, & pro tali instanti, ex suppositione decretorum, verum est dicere, quod plus dare non potuit. Vt autem inferatur multitudo gratiarum, profert V. Mater immediatè: & potuit dare illi omne id, quod non est esse Dei, quod explicat *per immediatius Divinitati, & remotius à peccato, quod pura creatura capere potuit.* Hæc doctrina etiam est verissima, quia intelligenda est absolutè; quia absolutè loquendo, Deus potuit darè Mariæ omne illud, quod non est esse Dei, & esset possibile puræ creaturæ, siquidem hoc non repugnat, Divina Omnipotentia secundum se inspecta, & ante decreta præsentis Providentiæ.

II. EXPLANATIO.

SEcundò potest explicari Propositio V. Matris sensu præcedenti satis affini, & ideò genuino: Deus dedit Deiparæ omnia, quæ potuit in instanti Conceptionis, hoc est, ex congruentibus dignitati Maternitatis, & non superantibus ipsam pro tali instanti, Deus dedit Matri suæ pro tali instanti omnia, quæ potuit. Quod V. Mater in hoccine fuerit prolocuta sensu, qui omninò antecedenti consonat, ex contextibus iam relatis liquet, & ex ijs, quę habet in præsenti numero, prorsus patet: *Numquid Deus* (inquit Pijssima Author) *suis in Thesauris reservaret aliquem ornatum, aliquam gratiam, aliquam suppellectilem ex his, quę desiderari poterant ad ornatum suæ Matris, & suæ Sponsæ, vt esset digna Sponsa, & digna Mater?* Et in fine numeri, ait: Quod si Maria haberet culpam origineam, *totum hoc esset minus decens Mariæ Matri, & Sponsæ Dei.* Totus ergo scopus V. Matris est, quod Deus contulerit Virgini ex decentibus & congruentibus dignitati Maternitatis pro tali instanti, & consequentèr ex non superantibus dignitatem illius, omnia, quæ potuit.

Quod autem pręfatus sensus sit securus, & SS. Patribus consentaneus, à plurimis propugnatur. Videatur Catherinus, lib. 4. §. Reijcit, pag. 377. Constat ex Illustrissimo Aug. Antolinez, Doctore Salmanticensi, laudato in Propugnaculo antecedenti: & suadetur ex S. Bernardino, tom. 3. tract. de B. Virgine, serm. 10. art. 2. cap. 1. vbi ait: *Regula firma est in Sacra Theologia, quod quandocumque Deus aliquem eligit ad aliquem statum, omnia bona illi dispenset, ac largiatur, quæ illi*

sta-

statui necessaria sunt, & illum copiosè decorant. Ex S. Antonino de Florent. 4.p.tit.15. cap.16. vbi ait: *Deus infundit suam puritatem vnicuique secundum suam virtutem, & capacitatem, vt patet de Domino, qui credidit servis suis bona sua vnicuique secundum propriam virtutem.* Deducitur ex D. Paulo, Epist. 2. ad Corinth. cap.3. vbi inquit: *Qui & idoneos nos fecit Ministros Novi Testamenti.* Et quia, *cui iurisdictio data est, ea etiam concessa videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potest*, lege 2. ff. de iurisdictione Iudicis. Totum hoc singulariter de Maria apprimè docuit Angelicus Præceptor, 3. p. q.27. art.4. in corpore: *Beata autem Virgo* (inquit) *fuit electa divinitus, vt esset Mater Dei, & ideò non est dubitandum, quod Deus per suam gratiam idoneam reddidit.*

Potest igitur quàm optimè dici, quod ex decentibus, ex idoneis, ex congruentibus Maternitati Dei, talemque dignitatem non superantibus, Deus dedit Matri suæ in instanti Conceptionis omnia, quæ potuit, vt esset digna Mater. Quo medio vsi sunt communissimè Theologi ad probandam puritatem origineam Conceptionis Deiparæ. Constat ex Doct. Subt. in 3. dist. 3. q.1. num.10. & quod V. Mater locuta fuerit in hoc communissimo sensu Theologorum, ex eo amplius constat, quod vsa fuerit illa Propositione ad persuadendam puritatem origineam Mariæ.

III. EXPLANATIO.

Tertiò potest, & debet intelligi V. Mater in hoc sensu, præcedentibus prorsus consentaneo, & textui V. Matris genuino: Videlicet, quod Deus dederit Matri suæ omnia, quæ potuit de potentia ordinaria. Pro quo prælibandum est, quod vt ait S. Bernardinus, tom. 1. serm.61. art.2. cap.6. dignitas Matris Dei constituit ordinem, & hierarchiam super omnes creaturarum hierarchias, & ordines. Eius verba sunt hæc: *Igitur huius Maternitatis, atque ordo Maternæ dignitatis est super totalem integritatem primi ordinis vniversi, & per consequens super totalem dignitatem, & integritatem Angelorum ordinum, atque Hierarchiarum.* Hoc ipsum docet Suarez, tom.2. in 3.p. disp. 21. sect.4. in fine. Consonat plurimis Sanctis Patribus, qui simili modo locuntur, ac S. Epiphanius, serm. de laudibus Deiparæ, vbi ait: *Solo enim Deo excepto, cunctis superior existis.*

His prælibatis, nihil in Scholis frequentius, quàm discretio potentiæ Dei in absolutam, & ordinariam, cum Doctore Angelico 1.p. q. 25. art.5. cum Doct. Subtili in 1. dist.44. quæst. vnica, & cum Doctore Eximio 1. tom. in 1.p. D. Thomæ, tract.1. lib. 3. cap.9. Igitur sensus Ven. Matris est, *Quod Deus dedit Verbiparæ in primo instanti anima-*

tio-

tionis omnia, quæ potuit de potentia ordinaria, quia cum dignitas Verbiparæ constituat ordinem super omnes puras creaturas, & ideò de potentia ordinaria debeantur ei perfectiones superiores ad omnes perfectiones purarum creaturarum, vtpotè decentes, & congruentes suæ dignitati, hoc modo sufficientissimè probabat suum intentum, quod erat, excipere Mariam ab originea labe: siquidem originea puritas dignitati Maternitatis congrua est; & origineà macula esset dedecens, vt statim subdit pijssima Author.

Sicut ergo Sancti Patres, qui simili modo loquuntur, non possunt intelligi, nisi de potentia ordinaria; nàm de potentia absoluta, assignato quocumque numero perfectionum finito, possibile est Deo alias, & alias vsque in infinitum producere perfectiones; ideò pijssima Author, non nisi de potentia ordinaria, intelligi valet: & quod ista fuerit mens illius, evidentèr colligitur ex 2. Part. num. 84. vbi inducitur B. Maria dicens: *Quomodo Altissimus animam meam implevit bonis, ita & innumeras alias creaturas ditare æqualitèr poterat, & superesset adhuc, quid in infinitum impertiretur*. Et ex 3. Part. num. 763. vbi dicitur: *Animam Christi Sanctissimam vitrà omnem modum, atque mensuram excedere omnes gratias Matris suæ*. Nec hæc adaptatio potentiæ ordinariæ respectu Virginis est nova: illà enim vsus fuit inter alios Carthusianus lib. 1. de Laudibus Virg. art. 14. per hæc verba: *Sanctitate Virginis maior esse non potest, non quia Deus absolutè sua potentia ampliorem nedum Virgini, sed alijs etiam præstare posit; sed nec decet, nec vtique fecit: Sanctitate ergo Mariæ maior, sub creata Filij eius Sanctitate, intelligi, esseque nequit*. Quid aptius?

Ecce igitur sensum omninò genuinum V. Matris. Deus dedit Verbiparæ in instanti Conceptionis omne, quod voluit, & voluit dare illi omne, quod potuit de potentia ordinaria: & potuit dare illi de hac potentia omne, quod non est esse Dei, sed est tamen immediatius Divinitati, & remotius à peccato, quod pura creatura capere potuit de potentia ordinaria, & iuxta legem præfixam vniversi, iuxta quam, vt constat ex dictis, dignitas Matris Dei, ad quam Virgo in sua Conceptione erat iam prælecta, constituit ordinem, & hierarchiam super omnes puras creaturas, homines, & Angelos.

DILUITUR FUNDAMENTUM CENSURÆ.

MOdo examinandum restat Censuræ fundamentum. Constat, inquit, manifestè ex Evangelio, quòd Deus non dedit Matri suæ omnia, quæ petuit. Si Censura loquitur de potentia absoluta ineptissimè Propositionem V. Matris intelligit, cum iste sensus ex dictis

dictis numero,ex quo decerpta est Propositio, repugnet, & ferè toti discursui talis Historiæ Deiparæ,præsertim contextibus præallegatis. Deinde cum V. Mater non explicet de potentiâ absolutâ,absque vlla ratione,& fundamento,& ex damnandi libidine, intelligeret eam de potentia absolutâ,& non de ordinaria. Si intelligit de potentia ordinaria;imò ex Evangelio constat manifestiùs Propositio V.Matris,quia cum in Evangelio dicatur Sanctissima Virgo, Ioannis 19. *Mater Dei*, in hac vnica voce dicuntur omnes prærogativæ, & Mariæ excellentiæ,& quod Deus dederit illi omnia, quæ de potentia ordinaria potuit: siquidem horum omnium fundamentum,& ratio est dignitas Divinæ Maternitatis,vt docent Sancti Patres, & dicit V. Mater passim in sua Historia,præsertim 1.Part.in præsenti numero, & num.192.& expressiùs num.234.& num.200.

71. Sed forsan dicet Author Censuræ constare ex Evangelio non revelatum fuisse Mariæ Incarnationis Mysterium,saltem quoad circunstantiam Maternitatis ipsius Mariæ Virginis,vsque ad tempus, in quo peractum est, iuxta cap.1. Lucæ. Rursus forsan dicet constare etiam non concessam fuisse illi impassibilitatem, aut immunitatem iuxta Luc.cap.2. à gladio compassionis,& doloris. Sed hæc, & alia similia levissimi, imò indignissimi remorsus sunt,vt ex eis prærogativæ Dei Genitricis extenuentur. Et in primis æquè possent obijci adversus locutiones Sanctorum Patrum.

Deinde quantum attinet ad primum,illud docuit expressè V.Mater 2. Part. num.133. & ex toto discursu Historiæ liquet,Pijssimam Authorem non posuisse in Deipara à primo instanti omnia,quæ posteà habuit. Breviter ergo respondendum per hoc,scilicèt, quod cognitio Mysterij Incarnationis quoad circunstantiam Maternitatis ipsius Virginis,non erat ex debitis perfectionibus Conceptioni Virginis, nec congrua ante Annuntiationem.Imò carentia cognitionis talis circunstantiæ potuit conducere ad maiorem perfectionem Virginis in operationibus,verbi gratia,ad eximiorem humilitatem,præcipuè in ipsamet Annuntiatione:& existimandum est, quod hoc spectabat ad dignitatem illius tanti Sacramenti,videlicèt, Mysterij Incarnationis ob altissimos fines Dei ipsimet notos.

72. Quantum attinet ad secundum,& alia similia, aures Censor præbeat doctissimo Galatino lib.7. cap.10.& integram nanciscetur solutionem per hæc verba: *Intemerata itidem Virgo cum Filium passibilem, & mortali-. genitura esset,qui cum eà vna caro futurus erat, & ab impassibili,& immortali passibile,& mortale naturalitèr procedere non posset,necessario mortalis quoque fuit:Quare tàm Mater,quàm Filius mortui sunt. Verumtamen à malis, & pœnis contingentibus proptèr Adæ peccatum*

tum, & non necessarijs Christi Passioni, ipsa B. Virgo liberata fuit. Unde laborem, dolorem, pœnam, tristitiam, mortem, & alia, quæ tulit Christus, non debent relegari à Verbipara, præsertim cum eius ordo, & hierarchia sit inferior Christo Domino nostro.

COROLLARIA.

EX dictis colliges, quod Censura sibi ipsi contradicit: quia profitens, quod Deus Beatissimæ Virgini contulerit, *quæ secundum ordinem sapientiæ suç ipsi conferri decebat*: profitetur, Deum contulisse illi omnia, quæ potuit de potentia ordinaria. Unde contradictoriè asserit, quod Deus non contulit omnia, quæ potuit. Hæc contradictio patet ad hominem; quia sicut Censura intelligi *potuit*, quod dixit V. Mater de potentia absoluta; ego intelligo *non potuit*, quod dicit Censura de potentia ordinaria. Unde sibi ipsi contrariatur; magnam iniuriam irrogat Deiparæ, & falsitatem Evangelio imponit: nullo enim modo constat ex Evangelio, quod Deus non contulerit Matri suæ omnia, quæ potuit de potentia ordinaria, hoc est, iuxta legem præfixam vniversi, iuxta quam Deus decrevit dare illi perfectiones super omnes creaturas. Confirmatur hæc contradictio ex dictis in introductione Censuræ, vbi asseritur, Maria *superior vniversa visibili & invisibili creatura*: & quod *eius gratia est summa*, in quibus satis confitetur, quod Deus dedit ei omnia, quæ potuit de potentia ordinaria. Colliges secundò: Nomen Universitatis Parisiensis non posse non esse ementitum: quis enim credet, quod tantæ Universitati distinctio potentiæ Dei in ordinariam & absolutam non occurrerit? Quis credet, quod damnarit locutionem in SS. PP. frequentissimam? Quis sibi persuadeat, quod tanta Universitas Mysterij Conceptionis antesignana, vt contrariam Evangelio confixerit rationem, qua nixi fuere passim Theologi ad origineam Mariæ puritatem dilucidandam? Ego minimè credam.

CERTAMEN SEPTIMUM.

REFERTVR DOCTRINA CENSVRÆ, subiecta in 7. Articulo.

NUm. 252. *Propalo semel, & multotiès ex vi veritatis, & luminis; in quo intueor hæc misteria ineffabilia, omnia privilegia, gratias omnes, cunctas prærogativas, cunctaque dona Purissimæ Mariæ, in his etiam*

etiam inclusa dignitate Matris Dei, pendere & originem ducere, iuxta manifestationem mihi exhibitam, ab eo, quod fuerit immaculata, & gratiâ plena in Conceptione sua purissima; ita vt absque hoc privilegio, cætera omnia viderentur imperfecta, aut veluti magnificum ædificium absque fundamento solido, & proportionato.

CENSURA.

QVamvis Facultas Theologiæ Parisiensis tenuerit, & teneat, Sanctissimam Virginem fuisse in sua Conceptione à labe peccati originalis præservatam, tamen hæc doctrina, quæ dogmata de Sanctissima Virgine ad fidem pertinentia, vt eius Maternitatem, & perpetuam Virginitatem, pendere asserit à sententia, quæ de Fide Catholica non est, & ita pendere, vt alioquin fundamentum solidum non haberent: falsa est, temeraria, & fidem stabilitam in Concilijs infirmans.

PROPUGNACULUM PRIMUM.

DEMONSTRATVR, MAGNAM PARTEM THEOLOGIÆ esse subijciendam huic Censuræ, imò S. Anselmum, & alios Authores, aut doctrinam V. Matris profitendam esse immunem à tali Censurâ.

CEnsuræ Author noluit intelligere, vt benè ageret, sed pravè, vt damnaret, intellexit. Pijssima Author nunquam asseruit dogmata Fidei de Sanctissima Virgine, vt dogmata fidei, pendere à sententia, quæ de Fide Catholica non est. Quod enim protulit, est longè diversum, videlicèt, omnia Mariæ privilegia, omnesque eius gratias, Maternitate non excepta, pendere, & originem ducere, ex puritate, & ex gratia Conceptionis. Hæc autem doctrina est expressa Magni Parentis Anselmi, lib. de Conceptione B. Virginis, cap. 7. vbi ait, Deiparam alloquens: *Ad tuam tantam excellentiam quis aspiciet? Quis attinget? Et certè, vt ad hanc excellentiam* (scilicèt Matris Dei) *pervenires, in humillimo loco, id est, in vtero Matris tuæ purissima oriebaris; quod si tali modo concepta, & ordinata non fuisses, ad tantam celsitudinem non succrevisses.* Ergo ex expressà mente S. Anselmi excellentia Matris Dei in Sanctissima Virgine dependet ab eo, quod concepta, & ordinata fuerit vt purissima. Ergò aut S. Anselmus, vt fidem in Concilijs stabilitam infirmans, damnandus, (quod nefas esset præsumere) aut doctrina V. Matris vt immunis censenda.

Subscribit expressè Propositioni V. Matris doctissimus P. Ale-

xius à Salo in Arte piè amandi,& colendi Deiparam, valdè laudatus in Bibliot. Virg. 1. tom. mihi fol. 178. Hic ergò Author, cap. 17. hęccine profert: *Nec verò homines soli, sed Angeli quoque ipsi vehementèr gloriantur Reginam suam, & Regis sui Matrem, tot dotibus coruscare, totque privilegijs circumseptam esse, quibus causam dedit purissima ista eius Conceptio.* Quid expressius? Si omnibus privilegijs, & donis Deiparæ causam dedit purissima eius Conceptio, vt absolutè profert præfatus Author, non exclusis Maternitate Dei & Virginitate: ergo omnia privilegia, & dona Virginis, Maternitate, & Virginitate non exceptis, à puritate, & à gratia Conceptionis, tanquam à causa, in aliquo sensu dependent. Sed quid immoror? In hunc sensum collimant ferè omnes, qui origineam Marię puritatem tuentur, apud hos etenim nihil frequentiùs, quàm quod non esset digna Mater Dei, nisi eius Conceptio purissimà extiterit, & in gratià: ergò in aliquo modo Dei Maternitatem, saltem quoad maiorem decentiam, à Conceptionis puritate, & gratia originea pendere faciunt.

Igitur aliquid ab alio potest bifariam dependere, vel quoad substantiam, & existentiam, vt in Schola Angelici Præceptoris Incarnatio à peccato Adami dependet: vel quoad modum, vt in Schola Doctoris Subtilis pendet Incarnatio à prævisione peccati Adami, à qua dumtaxat quoad modum passibilitatis pendet. Hæc dependentia quoad modum talis esse valet, vt aliquid ab alio dependeat, ita vt imperfectum, non splendidum, & non speciosum videretur, si illud aliud in rerum non poneretur naturà, sine quo tamen posset poni, licèt non ita perfectè, & splendidè. Iste est genuinus sensus V. Matris, ita evidentèr liquens ex ipso textu, vt nullus, qui sine studio damnandi, attentè legat, anceps subsistere valeat: hæccine enim eius verba sunt Latino idiomati fidelissimè donata, videlicèt: *Omnia privilegia Mariæ dependere, & originem ducere, ab eo quod fuerit Immaculata, & plena gratià in Conceptione sua purissima.* (modò exprimit modum dependentiæ, qui attentè notandus) *Ita vt absque hoc beneficio, omnia viderentur informia, & manca, aut veluti sumptuosum ædificium absque fundamento solido, & proportionato.* Quid clarius?

Igitur cum V. Mater dixisset, omnia privilegia dependere à gratia Conceptionis, per adverbium *ità*, (Hispanicè, *de manera*) immediatè positum, explicat modum dependentiæ; iste modus est duplex, non coniunctivè, sed disiunctivè. Primus est, quod dependeant ita, vt absque hoc beneficio cætera privilegia viderentur informia, & manca. Quis existimabit hoc esse asserere Maternitatem, prout est dogma fidei, seu quoad substantiam, & existentiam, dependere à gratià Conceptionis? Nullus sanè, qui rectè intelligat: hoc enim idem est, ac di-

cere, dependentiam Maternitatis à Conceptionis puritate, in hoc dumtaxat consistere, quod Maternitas, (& sic de cæteris privilegijs, & gratijs) videretur non satis splendida, & perfecta, si illud privilegium puritatis Conceptionis deficeret. Hoc autem quis inficiabitur? Quotquot probarunt origineam puritatem Mariæ, non nixi fuere hoc fundamento, nempè gratiam Conceptionis attinere ad decentiam, pulchritudinem, & decorem dignitatis Maternitatis Dei? Quod ergo in Theologia piaculum, quòd hoc ipsum V. Mater ex revelatione scripserit?

Secundus modus, qui ponitur disiunctivè à V. Matre, (qui, si verus sit, ad eius irreprehensibilitatem sat est, siquidem cum explicet dependentiam per duplicem comparationem, non copulativè, sed disiunctivè, vt veritatem dicat, sufficit quod in vna ex illis esset veritas) est, Maternitatem dependere, ita vt videretur veluti sumptuosum ædificium absque fundamento solido, & proportionato. Hoc minimè est dicere, Maternitatem, & cætera privilegia dependere quoad substantiam, & existentiam à puritate Conceptionis, sed quoad decorem, quoad pulchritudinem, quoad decentiam. Hoc ipsum formalissimè dicunt quot asserunt, quod macula in primo instanti dedecebat Matrem Dei, quos recensere, foret omnes probantes Misterium Conceptionis numerare.

Exemplum de ædificio est aptissimum: nam sicut, si ædificium valde sumptuosum, & pulchrum haberet fundamentum debile, & fædum, diceretur absque solido fundamento, & proportionato; ita omnia privilegia Mariæ, Maternitate, & Virginitate non exceptis, viderentur absque solido & proportionato fundamento, si eius Conceptio, quæ est initium huius Domus Mysticæ, quam sapientia æterna ædificavit, iuxta illud Proverb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum*, esse infecta macula peccati originalis. Quo nihil evidentius: quia nihil aliud est, quàm dicere, quod dignitas Matris Dei, & eius collectio gratiarum non viderentur sufficientèr pulchræ, & decoræ, si Conceptio fædata fuisset originea macula. Extorquere autem sensum præfati exempli, haud erit V. Matrem reprehendere, sed ipsum Magnum Parentem Anselmum, qui ab hinc multis sæculis vsus fuit illo, damnare. Igitur tantus Parens lib. de Conc. B. M. cap. 6. apponens exemplum de ædificante Palatium, qui si sapiens est, invalidum non ponit fundamentum, structuræ ædificandæ non congruum, facta posteà applicatione Deo, tanquam Opifici, & Mariæ tanquam structuræ, ait: *Quod Sacrarium, aula videlicèt, vniversalis propitiationis, cum operante Spiritu Sancto, construeretur, si fundamentum illius, scilicèt initium, seu primordium B. Mariæ formationis corruptum fuit, ipsi certè structuræ non congruebat, nec cohærebat.*

 Eo-

Eodem exemplo vsi sunt Doctissimus Armandus de Bellovisu in Biblioteca Virg. tom.1. mihi fol.196. & frequentissimè Sacri Præcones,& Interpretes super illud:*Fundamenta eius in Montibus Sanctis*. Hoc ipsum innuit Scriptura Sacra,cum dicit Psalm.86. *Gloriosa dicta sunt de te,Civitas Dei,quia homo,& homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus*. In quo textu, qui frequentissimè intelligitur de Maria, duplex causa apponitur prærogativarum Mariæ, videlicèt, *quia homo natus est in ea*:Ecce Maternitas; & quia ipse *fundavit eam Altissimus*:Ecce Conceptio.Consonat prorsus V. Mater, nam num. 234. primæ Partis docet:*Ex Maternitate inquirendam, & metiendam esse Mariæ magnitudinem; admodum quo ex vnione hypostatica colligitur quantus,qualisque sit Christus*. Et in præsenti num.252. explicat præfatam dependentiam prærogativarum quoad pulchritudinem, & decorem *à gratia Conceptionis*.

Deinde quid frequentius enucleatur de Maria, quàm quod eius humilitas fuit fundamentum eius celsitudinis, Magno Parente Augustino in testem adducto per illa verba,serm.1. de Verbis Domini: *Quantò erit maius ædificium,tantò altius ponitur fundamentum: Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis,de fundamento prius cogita humilitatis*. Vnde D. Antoninus serm. Sabbat. quadrag. in Bibliot.Virg. tom.2. ait de Maria: *Quia debuit super omnes Sanctos, & Sanctas,& Choros Angelorum exaltari, ideò debuit esse humillima*. Quid ergo criminis est,quod V. Mater asseruerit de gratia Conceptionis,tamquam de fundamento,quod de humilitate ipsius Virginis legitur scriptum. Liqueat ergo quàm iniusta sit Censura, omninò extorquens sensum dependentiæ,in quo loquuta fuit V.Mater,& damnans,tamquam hereticum exemplum de ædificio,quo vsus fuit Magn.ParensAnselmus, cum plurimis alijs.

Demonstremus iam,quod iuxta Censuram magna pars Theologiæ damnanda. Sacra Iesuitana Familia liberum arbitrium, quod est dogma fidei,facit dependere à scientia media. Schola Thomistica à decretis antecedentibus,& à præmotione physica.Alij à decreto concomitanti. Quis propterea damnabit omnes istos Theologos, quasi dogma Fidei faciant dependere à sententijs,quarum nulla quamtumvis probabilissima sit,terminos probabilitatis transilit? Deinde plurimi Theologi dogma prædestinationis faciunt pendere à meritis prævisis. Nunquid damnandi, quasi Fidem dogmatis prædestinationis pendere faciant à sententia,quæ de Fide non est? Schola Thomistica Mysterij Incarnationis existentiam facit dependere à prævisione antecedenti peccati Adami. Hæc sententia non superat terminos probabilitatis,substantia,& existentia Mysterij Incarnationis est dogma

mâ Fidei. Similitèr visionem intuitivam Dei facit dependere, ab eo quod lumen gloriæ sit tota ratio agendi. Schola Scotica, quod essentia communicetur, quin communicetur Paternitas, asserit repugnare vtpotè contradictio absque distinctione formali inter Paternitatem, & essentiam: ergo damnandæ sunt hæccine Scholæ quasi Propositiones, quæ sunt de Fide faciant, pendere, vt de Fide sunt, à suis sententijs probabilibus? Quis hoc dicet? Sanè ferè tota Theologia damnanda, quia ferè tota plena exemplis similibus. Præ omnibus in publicum prodeat exemplum in doctrina Angelici Præceptoris validissimum; ipse enim 3. p. q.27. art.4. in corpore docet: *Maternitatem Dei pendere ab impeccantia actuali, ita vt Maria idonea Mater Dei non foret, si peccasset aliquando, quia honor parentum redundat in prolem, & per oppositum ignominia Matris ad Filium redundasset.* Nunquid damnandus D. Thomas quasi asseruerit Maternitatem Dei reduplicativè, prout est dogma Fidei, pendere ab impeccantia actuali, quæ de Fide non erat?

Igitur aliud est asserere dogma Fidei, vt dogma Fidei, dependere à sententia probabili; aliud est asserere, quod id quod est dogma Fidei, scilicèt obiectum Fidei, dependeat ab hoc, vel illo in ordine obiectorum; primum dici nequit, secundum est irreprehensibile: stabilita enim vna veritate, vt asseratur de Fide, nihil aliud requiritur, nisi quod sit vt de Fide proposita ab Ecclesia. Posteà cum hæc veritas in ordine obiectorum possit habere aliquam dependentiam, arbitrarium est iuxta rationes, & authoritates dicere, quod dependeat ab hoc, vel ab illo. Sensus igitur V. Matris irreprehensibilis est, licèt absolutè asseruisset Maternitatem dependere à gratia Conceptionis; siquidem, vt constat ex textu, numquam dixit Maternitatem reduplicativè, vt dogma Fidei dependere, sed Maternitatem dependere; vnde intelligenda necessario de Maternitate specificativè; & ne aliqua suspicio oriri possit, an præferre Mysterium Conceptionis Maternitati fuerit conata, perpendantur eius dicta in 2. Part. num. 578. vbi in numeri initio profert, quod inter singulares præcellentias, beneficiaque Mariæ purissimæ, *prima est Maternitas Dei, quæ omnium extitit fundamentum; secunda eius Conceptio immunis ab omni labe.*

Solùm restat examinandum, quomodo Maternitas, & alia privilegia possint dependere à gratia Conceptionis, si ex alia parte gratia Conceptionis, & alia privilegia dependent à Maternitate, vt constat ex dictis V. Matris, & est apud Sanctos Patres frequentissimum. Sed cui Theologorum hic non occurret ordo executivus, & intentivus, frequentissimus in scholis cum D. Thoma 1.p. q.23. art.4. in quo diverso ordine potest dari inter easdem res mutua dependentia, &

prio-

prioritas. Vt ad præſens attinet, petatur exemplum à fine, & medijs neceſſarijs ſecundum quid. In ordine intentionis omnia media dependent à fine. In ordine verò executionis finis dependet ſecundum quid à medijs, quæ ſolùm ſecundum quid ſunt neceſſaria.

Igitur V. Mater in ordine intentivo poſuit prius Maternitatem, vt conſtat ex 1. Part. num. 42. vbi immediatè poſt inſtans prædeſtinationis Chriſti, & eius explicationem aſſerit: *Ad hoc inſtans conſequentèr, & quaſi in ſecundo loco, pertinet decretum, & prędeſtinatio Matris Verbi humanati.* Et ſtatim ſubdit: *Quod decreta fuere illi dona puræ creaturę poſsibilia, eo modo, quo decens erat, & conveniens dignitati Matris Dei.* Poſteà num. 192. aſſerit: *Quod ex eo quod Verbum aſſumpturus erat carnem in Maria, oportebat & decens erat, quod ipſa Maria foret immunis ab omni culpa, etiam originea.* En quomodo ponit in ordine intentionis omnia privilegia Mariæ, & omnigenam puritatem dependentèr à Maternitate Dei, ſaltim tamquam à motivo congruentię. Quod amplius docuit num. 200. inquiens: *Cum dignitas Maternitatis Verbi eſſet maxima, & principium, ac fundamentum excellentiarum magnæ illius Reginæ.* Et num. 234. vbi dicit: *Ex Maternitate inquirendam, & metiendam eſſe Mariæ magnitudinem, ad modum, quo ex vnione hipoſtatica colligitur quantus, qualiſque ſit Chriſtus.*

A capite autem 12. vſque ad 17. vbi num. 251. eſt Propoſitio, de qua eſt altercatio, atque etiam in alijs, deſcribitur ordo executionis, ſecundum quem Conceptio eſt prior Maternitate, & omnibus alijs donis, privilegijſque Verbiparæ. Unde ſenſus V. Matris in præſenti numero eſt, quod in ordine executionis puritas, & gratia Conceptionis eſt initium, fundamentum, & origo omnium aliorum donorum, & privilegiorum Mariæ, Maternitate, & Virginitate non exceptis, in ſenſu ſuprà explicito, iuxta eius verba, quibus immediatè explicuit modum dependentiæ, qui in ſumma ad hoc devolvitur, vt omnia dependeant à gratia Conceptionis quoad decentiam, pulchritudinem, & decorem; quatenus ſi eſſet concepta in macula, cætera privilegia viderentur non ſatis ſplendida, ſed informia, & manca; nec eſſet idonea, decens, & congrua Mater Dei, vt dicunt omnes probantes Myſterium Conceptionis, quibus in expreſsis terminis de ordine intentivo, & executivo, conſonat Eximius Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 1. ſect. 3. vbi ait: *Ideò ergo B. Virgo prædeſtinata eſt ad tantam gratiam, & gloriam, quia electa eſt in Matrem Dei, ordo enim executionis manifeſtat ordinem intentionis, ſed in re ipſa talis gratia, & gloria data eſt B. Virgini, vt eſſet ita diſpoſita, ſicut Matrem Dei decebat.*

Tandem ſicut in Schola Angelici Præceptoris, & ſatis frequentèr in Schola D. Subtilis prędeſtinatio ad gloriam eſt prior in ordine

in-

intentivo, à qua in tali ordine dependent gratia, & aliâ media requisita: & in ordine executionis gratia, & merita sunt priora, à quibus in tali ordine consequutio gloriæ dependet: sic (adhuc admisso quod V. Mater non explicaret modum dependentiæ,) posset dici, quod licèt in ordine intentivo omnia privilegia Mariæ dependeant à Maternitate; tamen in ordine executivo ipsa Maternitas, & cætera privilegia dependent à gratia Conceptionis, quatenus Deus iuxta leges præfixas, seu iuxta potentiam ordinariam, non assumpturus foret carnem, nisi ex Virgine absque macula originali concepta; & consequentèr non daret ei cætera privilegia adhærentia Maternitati Dei, ad modum quo iuxta leges præfixas non dat gloriam de facto, nisi dependentèr à meritis, quidquid sit de potentia absoluta.

COROLLARIA.

Colliges ex dictis, Authorem Censuræ prorsus sensum V. Matris extorsisse, maximam irrogando iniuriam Patribus, & Theologis, quia haccine loquutione V. Matris damnata, Patres, qui simili modo loquuntur, essent respuendi, vt fidem stabilitam in Concilijs infirmantes, & similitèr magna pars Theologiæ.

Colliges secundò, ementitum esse nomen Universitatis Parisiensis: incredibile enim est, quod tantam, & Sacram Facultatem lateret distinctio ordinis intentivi, & executivi, qua facillimè componitur illa Propositio dependentiæ; sicut & quod in ordine obiectorum, id quod est obiectum Fidei, possit dependere ab eo quod de Fide non sit, cum aliàs ferè tota Theologia esset damnanda.

CERTAMEN OCTAVUM.

REFERTUR PROPOSITIO SUBIECTA Censuræ in 8. Art.

NUm. 290. *Iste amor amplius eluxit in nocte, quam effecit mors sui Sacratissimi Filij in tota Ecclesia, per regimen, quod hæc magna Regina habuit in exordio Legis Evangelicæ.*

CENSURA.

¶ *Hæc Propositio, quæ tribuit Sanctissimæ Virgini regimen Ecclesiæ, falsa est, temeraria, & erronea.*

PRO-

DEMONSTRATVR, DOCTRINAM SVBIECTAM *Censuræ esse ementitam, & vt stat in scriptis V. Matris esse communissimam Sanctorum Patrum.*

TExtus V. Matris ita se gerit fidelissimè relatus: *Hæc charitas* (fatur V. Mater de charitate Mariæ erga Ecclesiam Militantem, figurata in Chrysolito Ciuitatis Sanctæ Hierusalem) *hæc charitas*, inquit, *amplius eluxit in nocte, qua perfusa est Ecclesia ob mortem Filij sui Sanctissimi, & in Magisterio, quem obtinuit ista Regina magna in initio Legis Euangelicæ, & in affectu, quo postulauit, vt hæc Lex, & Sacramenta eius stabilirentur, in omnibus cooperans, vt suis locis dicam feruentissimo amore, quo dilexit salutem humanam.* Ex his euidentèr constat, quod illa vox per *gubernationem*, seu per *regimen*, qua nititur omninò Censura, est simulata prorsus, & consequentèr doctrina V. Matris à tali Censura prorsus aliena, siquidem vbi ponitur vox per *regimen* Venerab. Mater dicit *in Magisterio*. Ad immunitatem doctrinæ Venerab. Matris dicta sufficiunt, vt tamen palàm fiat, quàm consona eius doctrina sit Sanctis Patribus, plurimos relinquens, haud paucos pro Magisterio B. M. V. expressos apponam. Primum obtinet locum Magnus Parens Augustinus serm. 6. de temp. vbi sic ait: *Magistra gentium remansit Maria, vt doctrix cum Apostolis.* Adhæreat Magnus Parens Anselmus lib. de Virt. B. Mar. cap. 3. *Meritò illa dicitur*, (videlicet Maria) *& Apostolorum Apostola, & Euangelistarum Euangelista, per quam principalis ipsis Fidei Principibus illuxit doctrina.* S. Bern. serm. 4. *super Missus est*, inquit: *Mariam illuminasse Euangelistas secundum nominis sui ethimologiam, quod idem est ac illuminatrix.* S. Ildephonsus serm. 5. de Assumpt. Virg. in Bibliot. Veter. Patr. tom. 9. mihi fol. 161. *Apostolorum*, inquit, *Conuentui nobili contubernio semper adhærebat Virgo.... vt ab eâ discerent, qualitèr arcanum tanti Mysterij, (nempè humanitatis Christi) & ipsi crederent, lucidius alijs enarrarent, & cum oportunum fuerit, sine omni ambiguitate scriptum mundo relinquerent.*

S. Bonauentura in Hymno B. Mariæ: *Te Matrem Dei*, inquit, *laudamus, veritas Prophetarum, & doctrix Apostolorum.* S. Antoninus Florent. in opusc. de B. Virg. cap. 14. §. 4. relatus in 2. tom. Bibliot. Virg. *Nulla enim creatura pura habuit tantam cognitionem de Diuinis rebus, sicut ipsa Magistra Apostolorum, & Euangelistarum, ad docendum eos de Mysterijs Fidei.* Idiota de Contemp. B. Virg. cap. 3. alloquens Mariam ait; *Doctrix fuisti Doctorum, & Magistra Apostolorum.* Ricardus

tardus à S. Laurentio, lib. 1. p. 2. *Maria Apostolorum Magistra facta est, qui nostri postea Magistri facti sunt, & ascendente Domino, Apostolos docuit Novum Testamentum.* Rupertus serm. 11. de Beat. Virg. post Ascens. Christ. in Cœl. *Tunc fuit tempus B. Mariæ loquendi Apostolis, & talia loquendi, qualia antea portare non valuerunt.* Albertus Magnus in Marial. cap. 157. *Sed B. Virgo missa fuit in mundum ad concipiendum, & pariendum Fidei Authorem: ergò excellentius habuit gratiam Apostolatus omnibus Apostolis.* Gersonius celebris Doctor Parisiensis, tract. 11. super Magnificat: *Multa sunt, quæ potuerunt se sola, Maria scilicet, revelante cognosci, quorum fecit participes Apostolos.*

S. Birgitta in serm. Angelic. *Erat enim Magistra Apostolorum.* Et paulò post: *Apostolis namque ad se venientibus, omnia, quæ de suo Filio perfectè non noverant, revelabat, & rationabilitèr declarabat.* Similia habet B. Amadæus, Episcopus Lausensis, relatus 1. tom. Bibliot. Virg. rapt. 8. mihi fol. 709. Ex his dicitur, ab aliquibus B. Virginem possidere in Cœlo aureolam Doctorum, quod latè propugnat Gabriel in Supplemento ad 4. sent. dist. 49. art. 3. dub. 2. Tandèm ob Magisterium B. Virginis, latè dilucidant, & propugnant Didacus à Castillo in Alphabeto Mar. §. 148. Canisius lib. 5. de B. Virg. cap. 1. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 19. sect. 1. & sequentib. His ergò prævisis, quis Magisterium B. Virginis in exordio Legis Evangelicæ reprehendet? Quid conformius Sanctis Patribus, quàm V. Matris in hac parte doctrina? Nec intueor quid opponi valeat, nisi forsan, quod D. Thomas 3. p. q. 27. art. 5. ad 3. dixerit: *Quod Beata Virgo non habuit usum Scientiæ ad docendum, quia hoc non convenit sexui muliebri, secundum illud* 1. ad Thimoteum 2. *Docere autem mulieri non permitto.* Hoc autem intelligendum est quantum ad docendum publicè, non verò quantum ad docendum, instruendum, & illuminandum privatim, & familiari instructione, ut ipsemet interpretatur Caietanus ad hunc locum per hæc verba: *Posset tamen dici, quod non publicà doctrinà, sed familiari instructione, quam constat mulieribus non esse prohibitam, B. Virgo aliqua particularia facta explicavit Apostolis.*

Ex his evidentèr constat immunitas doctrinæ V. Matris in præsenti; sed agèdum probemus, ut perspicuum sit, quanto studio non rectè intelligendi, sed damnandi, proficiscatur Censura; quod etiam si V. Mater apposuisset illam vocem in *regimine*, seu in *gubernatione* circa exordium Legis Evangelicæ, piè, & prudentèr esset intelligenda, & non statim ut erronea damnanda. Primò, quia evidentèr deducitur ex scriptis V. Matris sensum illius non fore constituere Virginem Mariam rectricem, & gubernatricem Collegij Apostolici, & Ecclesiæ, tamquam supremum Caput illius; siquidem in 2. p. num. 1458.

statim post mortem Christi refert Venerabilis Mater, quod *B. Virgo recognouit Petrum, vt Caput Ecclesiæ, & vt electum à Filio suo Sanctissimo in Vicarium ipsiusmet Filij sui in terris.* Et posteà num. 1491. refert V. Mater, quod *Christus ipsum solum Petrum constituit Caput Ecclesiæ suæ vnicum, & vniversale, donans ei authoritatem supremam sui Vicarij.* Quod autem B.V. Maria se submisserit profundissima, & portentosa humilitate B. Petro, tamquam Supremo Ecclesiæ Capiti, & legitimo Christi Vicario, nihil frequentius in tota 3. Part. In admirationem humilitatis Mariæ, & in detestationem Censuræ, quæ errorem imponit Authori Pijssimæ toto Cœlo, & Terra à suis scriptis distantem; legatur in 3. Part. num. 50. vbi dicitur: *Quod quotidiè, manè, & vesperè benedictionem efflagitabat ab Apostolis, & primum à S. Petro, tamquam à Capite Ecclesiæ.* Legatur num. 99. ibi dicitur: *Quod Petrus, vt Caput Collegij Apostolici, impertitus est Virgini Beatissimæ benedictionem, quam ipsa flexis genibus expostularat ab Apostolis.* Sed quid immoror? Legatur num. 218. 229. 558. 568. 569. 570. ex quibus alijs omissis, evidentèr constabit legenti, Vener. Matrem sensisse omninò rectè, & Catholicè de Supremo Ecclesiæ Capite, & Vicario Christi B. Petro, cui subiectam profert Beatam Virginem fuisse profundissima humilitate, tribuens ipsi Deiparæ, quod ei tribuunt frequentissimè Sancti Patres, videlicèt, quod fuerit Doctrix, Illuminatrix, & Magistra Apostolorum.

Secundò, quia gubernare, seu regere, in Hispano idiomate frequentissimè sumuntur pro dirigere, & dirigere pro gubernare, quo sensu, qui alium dirigit consilijs, & doctrinà, dicitur, quod illum regit, & gubernat. Sic Confessor dicitur gubernare, & regere animam spiritualem: & qui aulicus est Regi in intimis, & familiaribus dicitur Regem, imò & ipsum Regnum gubernare: & Theologus dirigens Principem dicitur gubernare ipsum Principem, imò & bona illius; quod in rigore nihil aliud est, quàm Principem gubernare sua bona ex directione, & doctrina Theologi. Igitur licèt Vener. Mater dixisset Beatissimam Virginem habuisse gubernationem in exordio Legis Evangelicæ, intelligenda foret de directione, illuminatione, & Magisterio, quem habuit circa Apostolos, ipsomet Petro, Supremo Capite, non excepto. Nunquid Summi Pontifices non inquirunt consilium à Theologis, Doctoribus, & Eminentissimis Cardinalibus, ad plura pertinentia ad regimen Ecclesiæ peragenda? Petrus, licèt Summus Pontifex, & Supremum Ecclesiæ Caput, non potuit ampliori modo dirigi, & illuminari à Sanctissima Deipara? Cur ergo non posset dici in hoc sensu, quod Beatissima Virgo habuit gubernationem, seu regimen in exordio Legis Evangelicæ, præsertim cum ex conse-

testibus adductis constet, Vener. Matrem non posse intelligi in sensu à Censura intento.

Tertiò, quia simili modo loquuntur aliqui Sancti Patres, & Authores benè multi: ergò eius loquutio non esset damnanda, sed iuxta pium, & prudentem sensum intelligenda. Antecedens constat, quia S. Thomas à Villanova agens de Maria circa Collegium Apostolorum, ait: *Quam quidem Scholam duodecim annis, vt fertur, rexit, ac tenuit, Apostolorum omnium, ac Discipulorum Christi, Ecclesiarumque Magistra; vnde & cunctas hæreses solam interemisse in Ecclesia Dei decantatur.* Si dicat Author Censuræ, quod iste Sanctus anteà dixerat: *Non quidem vt oves suas regeret, sicut Petrus.* Ex hoc manifestè constabit, loquutionem Vener. Matris futuram fuisse immunem à Censura, siquidem ex hoc constat, quod verbum *regere*, non solùm sumitur pro regere oves, sicut Petrus, sed pro dirigere, & illuminare Collegium Apostolicum, in quo sensu intelligendus est Flavius Dexter in suo Chronic. anno Christi 34. vbi vtitur difficiliori loquutione, ait enim: *Sacra Virgo consilio, luce, doctrina, miraculis, vitæque exemplo præsidet Concilio Apostolico, nihilque grave gerunt illi, quod non eius consilio, ductuque geratur.* Vnde Canisius lib. 5. de B. Virg. cap. 1. subdit: *Hoc si verum est, vt sanè videtur consentaneum, non tàm interfuit, quàm præfuit privatis, & publicis Conventibus, in quibus tempore illo difficillimo maximis de Fidei negotijs Apostoli aliqui, & Seniores maximè consultarunt, atque definierunt.* Subscribunt Bartholomæus de los Rios in sua Hierarchia Marian. lib. 1. cap. 33. Beda, Sanctus Antoninus de Florentia, & alij. Ergò sicut tot Authores probatissimi difficiliori loquutione vtuntur, tribuentes Mariæ regimen, & præfecturam in Concilio Apostolico Hierosolimis habito, & tamen intelligendi sunt de directione, illuminatione, & Magisterio, cum dici debeat, quod Petrus ibi, tamquam Caput Ecclesiæ præfuerit, vt ipsa Vener. Mater docet in tertia Parte; pariformitèr piè, & prudentèr esse intelligenda Vener. Mater, licèt vsa fuisset voce *regiminis*, aut *gubernationis*.

COROLLARIA.

Ex dictis colliges, quàm detestanda sit Censura. Primò, quia vbi Vener. Mater apposuit vocem in *Magisterio*, Author Censuræ posuit hanc vocem *regimen*: vnde doctrinam finxit, vt eam Censura configeret. Secundò, quia adhuc admisso, quod in textu Vener. Matris esset illa vox regimen, ex subsequentibus in tali numero, & ex contextibus suprà relatis constaret manifestè, quod sensus intentus à Censura, non posset esse sensus intentus à Venerabili Matre: vnde

constat Authorem Censurę processisse ex cæca libidine damnandi.

Colliges secundò, Censuræ Authorem magnam iniuriam Sacro Minervico Theatro Parisiensi irrogasse sub illius nomine Censuram evulgantem: quid enim magis famam tanti Lycæi obtenebraret, quàm quod doctrinam finxisset, vt tamquam erroneam Vener. Matrem virtutibus, & miraculis coruscam, damnaret? Deinde dato, quod ex defectu alicuius versionis in loco huius vocis *Magisterij* esset apposita hæc vox *regimen*, quis credet, quod tàm doctissima Universitas in modo approbandi revelationes, sicut & in omnibus facultatibus nitidissima, ignoraret, quod sensus illius piè, & prudentèr erat venandus, & non in sensu contradictorio scriptis V. Matris, vt constat ex contestibus, capessendus? Ego sanè de Universitate tanta ita indignè sentire semper ægrè feram.

CERTAMEN IX.

REFERTVR DOCTRINA CENSVRÆ subiecta in 9. Articulo.

NUm. 301. *Siquidem Divina ista Regina de se ipsa loquens ait, quod per se ipsam Reges sunt assumpti ad thronum, & in illo servati; quod per seipsam Principes imperant, Potentesque terrę administrant iustitiam.* Et in margine notatur caput octavum Proverb. vers. 15. & 16.

CENSURA.

CVm perspicuum sit verba capitis 8. Proverb. de sola Sapientia increata, vel incarnata, iuxta Sanctorum Patrum vnanimem consensum ad litteram esse intelligenda, & declaraverit Author in libro, pag. 61. Deum ad litteram in eo capite de Verbo Incarnato, & Sanctissima eius Matre loquutum fuisse: Hæc Propositio, quæ inducit Sanctissimam Virginem dicentem de se, quod ipsa dixerit Proverb. 8. per me Reges regnant, &c. falsa est, & temeraria.

*** *** *** *** *** *** ***

PRO-

DEMONSTRATVR, DOCTRINAM, QVÆ DAMNATVR, *esse prorsus ementitam, imò & Censuram continere doctrinam viro in Sacris Litteris provecto, omninò indignam.*

QUanto non veritatis capessendæ, sed damnandi studio, Author sit Censuræ progressus, ex hoc fit Certamine perspicuum. Doctrina, quæ configitur ad hoc devoluitur, quod Vener. Mater dixerit illum versum, *per me Reges regnant, &c.* intelligi ad litteram de Deipara. Et quia V. Mater hoc minimè dixit in præsenti num. vt ex textu patet. Author Censuræ ex duplici causa hoc colligit. Prima est, quod V. Mater asseruerit pag. 61. quæ correspondet num. 54. capit. 8. Prov. intelligi ad litteram de Verbo Incarnato, & Sanctissima eius Matre. Secunda est, quod in margine sit citatum caput 8. Proverb. quasi hoc sit factum ex mente Pijssimæ Authoris. Tum sic: sed ex prima parte, adversus quam ista versatur Censura, constat evidentèr, quod vtraque causa sit falsa: ergò sequitur manifestè, quod id quod damnatur, videlicèt, quod ille versus intelligatur litteralitèr de Maria, est doctrina non à V. Matre proposita, sed ab Authore Censuræ, aut ex libidine damnandi inconsideratè existimata, aut prava voluntate ementita.

Prima pars minoris evidentèr constat ex cap. 5. num. 52. 53. & 54. in quo capite dicit V. Mater, quod Deus misit illam ad caput octavum Proverb. *In quo, ait ipsa, dedit mihi Deus intelligentiam huius Mysterij,* (intellige, prædestinationis Christi, & Mariæ ante omnem creaturam) *e... modo, quo in ipso clauditur, & prius data mihi fuit intelligentia litteræ, quæ littera ita est.* His dictis num. 52. incipit num. 53. & eius initium est: *Dominus possedit me initio viarum suarum.* Et ab hoc versu, qui est 22. octavi Proverb. refert litteram vt sonat, vsque ad versum 31. inclusivè, qui est: *Ludens in orbe terrarum, & delitiæ meæ esse cum filijs hominum.* Undè solùm protulit litteram 10. versuum, scilicèt à vers. 22. vsque ad 31. inclusivè. Quos cum retulisset, vt littera sonat, immediatè num. 54. hæc profert, fidelissimè traducta: *Hic est locus Proverb. cuius intelligentiam mihi donavit Altissimus. Et prius intellexi ipsum loqui de ideis, aut decretis, quæ in sua habuit mente Divina ante creationem mundi: & quod loquitur ad litteram de Persona Verbi humanati, & de sua Matre Sanctissima.* Ex ijs constat evidentèr, ipsam solùm dixisse intelligi ad litteram de Virgine illos decem versus. Cum ergò ille versus, *per me Reges regnant, &c.* non clau-

da-

datur in istis decem versibus, antecedit enim ipsos, nã est vers. 15. & 16. evidentèr constat ipsam nõ dixisse, illud *per me Reges regnant, &c.* intelligi litteraliter de Virgine. Quid evidentius? Hoc mihi dumtaxat sat est, vt ipsa à tali Censura evidentèr evadat immunis; cum in nulla parte eius operis reperiatur, quod talis versus, nec quod totum caput 8. Proverb. de Virgine intelligatur ad litteram, sed solùm quod ille locus, qui claudit decem versus, ita intelligatur.

Sed forsàn dicet Author Censuræ, quod eadem ratio non potest non esse de illis decem versibus, quæ est de alijs: ergò vel omnes debent intelligi ad litteram de Maria, vel nulli. Sed hæc arguitio viro in Sacris Litteris aliquantulum versato indignissima foret, cum apud omnes sit compertum, quod non ex eo quod aliquis versus vnius capitis intelligatur ad litteram de Christo, aut Maria, debent propterea omnes alij versus illius capitis de eisdem ad litteram intelligi: quod passim patet in tota Scriptura. Petatur exemplum ab ipsomet cap. 8. Prov. in quo plures versus sunt, qui intelliguntur ad litteram de Sapientia increata, & alij, qui non intelliguntur ad litteram de increata Sapientia, ob quod plures Sancti Patres vt Clemens Romanus, lib. 5. Constitut. Apost. cap. 19. S. Athanasius serm. 4. contra Arian. S. Chrisostomus de Sanct. Trinitate. S. Hieronymus lib. 2. in Mich. in princ. S. Ambrosius 1. de Fid. cap. 7. asserunt, quod in dicto capite alia intelliguntur ad litteram de Sapientia increata, & alia de incarnata; præsertim ab illo versu *ab æterno ordinata sum*, quit iuxta ipsos non debet intelligi ad litteram de Sapientia increata, sed incarnata. Nec in hoc plus immorandum, cuncta siquidem Scriptura plena est exemplis; & aliàs totus vnus liber eadem ratione deberet intelligi ad litteram de Christo, aut Maria, ex suppositione, quod vnus versus, aut vnum caput intelligeretur ad litteram de aliquo ex ipsis.

Secunda pars illius minoris principalis, videlicèt, quod caput octavum Proverb. non sit citatum in margine ex mente Pijssimę Authoris, constat evidentèr ex Prologo Sapientissimi, & Illustrissimi Samaniego, Episcopi Placentini, qui expressè fatetur num. 90. §. 12. quod loca Scripturę sint notata in margine à se ipso, non verò ex calamo, aut mente V. Matris. Nec obstat, quod verba apposita à Vener. Matre idem sonent, ac illa octavi Proverb. *per me Reges regnant, &c.* quia Pijssima Author optimè potuit illa proferre, vt revelata sibi, quin sciret, an essent cap. 8. Proverb. præsertim cum Vniversalis Ecclesia hæccine verba applicet Deiparæ in Officio ad Nives: Unde proferre posset, quod illa verba intelligerentur de Maria, præscindendo ab hoc, quod essent verba Proverb. aut alterius Libri Sacræ Paginæ.

Quis

Quis hoc improbare queat? Constat ergo ex dictis, Pijssimam Authorem in scriptis suis nunquam protulisse talem versum esse 8. Proverb. aut intelligi ad litteram de Maria. Ergò doctrina confixa Censura non est V. Matris, sed ei, studio damnandi, adscripta.

Demonstremus modò ipsam Censuram, vt eius qualitas cognoscatur, doctrinam obtinere viro in Sacris Litteris versato prorsus indignam. Sanè Censuræ Author ipso laqueo irretitur, quo conatus fuit Pijssimam Authorem implicare. Sensus enim litteralis, non de sola Sapientia increata, vel incarnata iuxta vnanimem consensum Patrum, versatur in cap. 8. Proverb. sed potius de Sapientia vt sic, abstracta à Sapientia creata, increata, & incarnata. Quam interpretationem ad litteram de Sapientia communissima ab increata, & creata abstracta, tradit D. Gregorius Naciançenus orat. 39. quæ est quarta Theologiæ circa principium. Et addit Doctissimus Salmeron: *Hanccine interpretationem perantiquam esse, & à Sanctis Patribus contra Arianos etiam vsurpatam.* Quid ergò nugarum est, quod ex vnanimi consensu Sanctorum Patrum totum caput 8. Proverb. non nisi de Sapientia increata, vel incarnata ad litteram intelligi valeat? Sanè Tertulianus, Iansenius, Rodolphus, Caietanus, & vt ait Salmeron: *Alij recentiores Interpretes ex D. Gregorio, & ex vsu Patrum, nomine Sapientia intelligunt Sapientiam communissimam, abstractam à Sapientia increata, vel incarnata, & à nostra Sapientia creata.* Unde in sensu litterali multa huius capitis debent exponi de Sapientia creata; qui sensus, vt ait Salmeron, est litteralis, sicut ille, in quo multa exponuntur de Sapientia increata, vel incarnata. Et sanè inspecta ratione, primum videtur manifestum, quia illa verba huius capitis, *Sapientia clamitat, prudentia dat vocem suam*, vers. 1. *Intelligite parvuli astutiam, & insipientes animadvertite*, vers. 5. & inferius vers. 10. *Accipite disciplinam meam, & non pecuniam*: ita propriè, & ad litteram possunt, & debent intelligi de Sapientia creata, vt aliqua ex his ad litteram minimè conveniant Sapientiæ increatæ, vel incarnatæ. Quomodo enim ad litteram Sapientia increata, vel incarnata potest dici astutia, vel habere astutiam?

Sanè sapientia, de qua loquitur Salomon in præfatis versibus, eadem est, de qua capite sequenti vers. 10. dicit: *Principium Sapientiæ timor Domini*; & cap. 7. vers. 4. *Dic Sapientię Soror mea es: & prudentiam voca amicam meam.* Quæ Sapientiæ increatæ, vel incarnatæ ad litteram minimè conveniunt. Falsa igitur est doctrina Censuræ, quatenus asserit, quod totum caput 8. Proverb. non nisi de Sapientia increata, vel incarnata ad litteram valet intelligi; & indigna viro in

Sa-

Sacris Litteris versato, cum passim Interpretes Sacri non pauca illius capitis de Sapientia creata ad litteram intelligant.

Nec hoc obstat expositioni litterali, quam tradit V. Mater de B. Virg. à versu 22. vsque ad 31. Primò, quia Sancti Patres explicarunt illos versus, vel de Sapientia increata, vel incarnata; non negarunt autem, quod possint etiam intelligi ad litteram de B. Virg. Vnde cum eadem Littera plures possit habere sensus litterales, vt Propugnaculo sequenti dilucidabitur, & docet Vener. Mater in 3. Part. num. 14. ideò cum explicatio sit omninò consentanea litteræ, nec opponatur doctrinæ Ecclesiæ, nulla est ratio cur non debeat admitti. Secundò, quia ipsemet locus, quam V. Mater explicat ad litteram de prædestinatione Christi, & eius Matris, seu de Decretis Christi, & Mariæ ante omnes alias creaturas, etiam de eisdem explicatur ad litteram ab Illustrissimo Ioanne de Seguvia, Episcopo Cæsarino, à quo ab hinc multis annis propositus fuit ad definitionem Mysterij Conceptionis expostulandam in allegationibus ad Concilium Basiliense, vt constat ex allegatione secunda, document. 3. cui expositioni litterali favet Eximius Doctor Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 1. sect. 3. vbi præsentem locum exponens, ait, quod *Mater non fuit à Filio disiuncta, etiam in electione Divina.* Favent etiam omnes Sancti Patres; qui asserunt prædestinationem Mariæ fuisse ante omnes alias creaturas, quos prolaturi sumus Certamine vltimo, Propugnaculo 2.

PROPUGNACULUM SECUNDUM.

DEMONSTRATVR, QVOD ADHVC ADMISSO, quòd V. Mater dixisset intelligi ad litteram de Sanctissima Virgine illud* per me Reges, &c. *esset prorsus immunis à Censura.

COmmunissima sententia est, quæ astumat vnum, eundemque textum multiplicem posse sensum litteralem sortiri, cuius oppositam ausus est appellare temeritatem Bañetius ad art. 10. q. 1. p. 1. S. Thomæ, conclus. 3. existimans in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. firmitèr de Sum. Trinit. definitum fuisse primum Genesis versum: *In principio, &c.* duplicem continere sensum litteralem: & licèt Vazquez hoc renuat, tamen vt ait Salmeron citatus in præiudicio, cap. 8. Proverb. *Duos sub vna littera sensus Germanos sub esse peritiores docent, & sine iniuria plurimorum Fidei dogmatum negari non potest.* Hæc est celebris sententia, quam tradidit Magn. Parens Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 27. & lib. 19. conf.

Conf. plurimis capitibus, præsertim 31. S. Hier. epist. 103. ad Paulin. & lib. 1. contra Iovin. explicans illud Cantic. cap. 4. *Vulnerasti cor meum*. S. Bern. serm. 51. in Cantic. S. Thom. 1. p. q. 1. art. 10. & quodlib. 7. art. 16. & de potentia, quæst. 4.

Consonat communis consensus Sacrorum Interpretum Abulens. ad cap. 13. Matthæi, quæst. 28. & alibi. Lyr. in cap. 8. Dan. Corn. à Lap. in Isai. cap. 5. Lorin. ad cap. 3. Act. vers. 13. Canus de Locis, lib. 2. cap. 11. §. Ad secund. ration. Vazquez tom. 1. in 1. part. disp. 17. cap. 2. qui alios citat. Noster Haye in tom. 1. Bibliæ Max. & communissimè Theologi, non solùm Expositivi, sed Scholastici, vt Bañetius citatus, Zumel, Turrian. Pesant. Pontius, & alij, quos valdè foret fastidiosum recensere; qui adducunt pro se Nissen. homil. 1. in Cantic. Greg. Pap. Ricard. Victorin. Origin. & alios Patres.

Hæccine sententia tanta suffulta authoritate, nec vacat rationibus: nam in primis, cum in tali multiplicitate sensus litteralis nulla assignari repugnantia possit, nulla est ratio cur denegetur hæc dignitas, & vbertas Sacræ Scripturæ; vt enim ait Angelicus Præceptor in opusc. de potent. quæst. 4. art. 1. *Hoc ad dignitatem Divinæ Scripturæ pertinet, vt sub vna littera multos sensus contineat, vt sic, & diversis intellectibus hominum conveniat, & vnusquisque miretur se in Scriptura Sacra posse invenire veritatem, quam mente concepit, & per hoc contra Infideles facilius defendatur.* Hoc Sacram Scripturam, vt admirabilem commendat, & vtilissimam iuxta Magnum Parentem Augustinum, lib. 2. de Doct. Christ. cap. 27. *Quid in Divinis*, ait, *eloquijs largius, & vberius potuit Divinitùs provideri, quàm vt eadem verba pluribus intelligantur modis?* Nec miranda hæc Scripturæ fœcunditas, quia vt ait D. Thomas in 2. sent. dist. 12. art. 2. ad 7. *Maiori veritate eam Spiritus Sanct. fœcundavit, quam aliquis homo innuere possit*. Hinc forsan idem Angelicus Doct. supra cit. in opusc. de potent. quæst. 4. art. 1. protulit, quod *Omnis veritas, quę salva litterę circunstantia, potest Divinæ Scripturæ aptari, est eius sensus*. Et cum in præcedentibus temporibus licitum fuerit interpretari litteralitèr Scripturam Sacram, & edere sensus novos, esset Spiritum Sanct. & Divinam Omnipotentiam offendere, asserere, quod id quod fecit cum Doctoribus aliorum sæculorum, nequeat cum Doctoribus huius sęculi facere: *Ergò*, inquit Arnobius Epist. ad Stephan. Pap. (*quod nefas est dicere*) *Spiritus Sanct. omnipotentiam amisit, cum ei istis diebus nunc agere non licet, quod cum per Sanctos Prædicatores in præcedentibus fecisse nullus fidelium dubitavit.*

Igitur deveniamus in particulari ad illum versum, *per me Reges, &c.* In primis falsissimum est dumtaxat intelligi ad litteram de Sa-

pientia increata, vel incarnata. Nam vt videre est apud Salmeronem, & communissimè recentiores Interpretes, ad litteram de sapientia humana exponitur; vnde proprius eius sensus est ad litteram de sapiētia humana inducta à Salomone per prosopeiam: *Per me iustè, & prudētèr Reges regnant, quia eos virtute mea, cui consilium, æquitas, & fortitudo, doceo regere prudentèr, & iustè.* Verum est quod aliqui Patres referunt hoc immediatè ad Deum, quod fecit S. Augustinus de natura boni, cap. 32. & lib. 5. & 4. de Civit. Dei. Ast Solonius Viennensis in Mystic. Exposit. Parab. in sensu mystico, & non in litterali, refert hęc verba immediatè ad Deum, & posteà ad Christum. Salmeron explicat illa de Christo, & Maria, vbi ait num. 136. *Ex quo etiam fit, vt sicut Filio licet prenuntiare illa verba, per me Reges regnant, &c. sic etiam Matri æquum sit eadem vsurpare in eodem sensu.*

Igitur Pijssima Author, quæ vt constat ex 3. p. num. 14. tenet vnam, eamdemque litteræ corticem multiplicem posse claudere litteralem sensum, potuit sine erroris notà talem versum intelligere litteralitèr de Christo, & Maria. Primò, quia à plurimis Interpretibus cum Salmerone in eodem sensu exponitur de Maria, ac de Christo; si ergò iuxta plures intelligitur litteralitèr de Christo, quod non renuit Censura, hoc esse iuxta Patrum consensum; iam satis probabilitèr posset Pijssima Author, & quilibet Interpres talem versum interpretari litteralitèr de Maria: præsertim cum interpretetur de Christo communitèr ratione imperij, & dominij super vniversum, & omnes creaturas, quod quidem imperium, & dominium ratione Maternitatis Dei satis frequentèr, licèt modo inferiori Christo, tribuitur à Doctoribus Mariæ. Hoc totum nititur magna Patrum authoritate, nàm Deipara iuxta D. Ildephonsum serm. 3. de Assumpt. dicitur: *Regina Regum.* Et Rupertus in cap. 4. Cantic. ait: *Hæc in Cœlis Regina Sanctorum, & in terris Regina Regum est, quandoquidem est Mater Regis coronati, quem constituit super opera manuum suarum, ac proinde Regina constituta totum iure possidet Filij Regnum.* D. Anselm. lib. de Excel. Virg. cap. 9. *Iure materno terræ, Cœloque cum eodem Filio suo Præsidentem.* S. Thomas de Villanova, serm. de Nativit. *Etenim ipso quod Mater Creatoris effecta est, omnium creaturarum iure optimo Domina, Reginaque constituta est.* Gersonius super Magnif. Alphab. 83. *Iure dicatur Regina Mundi, & Domina.* Ita passim loquuntur Patres, & Doctores.

Stabilito ergò iure Mariæ, & Christi ad regnandum, simili modo quo ille versus, *per me Reges, &c.* posset explicari litteralitèr de Christo; quia cum esset in terris, & haberet ius proprium regnandi, sciuit Reges regnare, ita, servatis servandis, posset explicari litteralitèr de

Ma-

Maria, cui vtpotè Matri Regis, tribuitur etiam ius regnandi. Nec ille, aut alius litteralis sensus, in quo dixisset Pijssima Author, quod talis versus intelligebatur litteralitèr de Maria, videlicèt quod Reges regnent iustè, & rectè per illius intercessionem, aut alius quicumque, debebat respui solùm quia esset novus, & litteralis, aut quia non esset traditus à Sanctis Patribus; nàm licèt verum sit, quod non debet admitti sensus litteralis, quem concors sententia Sanctorum Patrum protelat, vt Concilium Tridentinum decrevit in Decreto de vsu Sacr. Lib. sess. 4. tamen etiam non debet reijci ille, quem ipsi non tradidere, solum quia novus: nam vt ait Valentia, & quidem rectè, tom. 1. disp. 1. q. 1. punct. 5. §. 3. *Si enim sensus litteralis, quem quis affert, congruit alioquin cum sana doctrina, & cum alijs locis clarioribus Scripturæ, & possit referri ad finem, in quem referri oportet ea omnia, quæ traduntur in Sacris Litteris, nempè ad charitatem; tunc omnis eiusmodi sensus est admittendus, vt præclarè docet Augustinus lib. 3. de Doctrin. Christ. cap. 3. & 27. Nec facultas hæc interpretandi Sacras Litteras est appellanda nimia licentia; imò potius putandus est Spiritus Sanct. eam facultatem fecisse ad vtilitatem Ecclesiæ, vt asserit August. in illo cap. 27.* Modo auscultetur Ricardus Victorinus Prolog. in vision. Ezeq. *Sed neque illud tacitè prætereo, quod quidam, quasi ob reverentiam Patrum, nolunt ab illis amissa attentare, sed inertiæ suæ eiusmodi velamen habentes otio torpent.* Et paulò post: *Nos autem pertractata à Patribus cum omni aviditate suscipiamus, & ab ipsis omissa cum alacritate perquiramus, & sagacitèr inventa cum omni liberalitate in communi proferamus, vt impleatur quod scriptum est, pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia.* Hæc Ricardus, cui consonant Basilius Ponce de Leon 1. part. variar. quæst. 4. expositiva cap. 4. Alphons. Mendoza q. 2. expositiv. num. 2. & plures alij.

Si ergò fas est Interpreti Sacro sensum litteralem edere novum, non tactum à Patribus, cur hoc ex revelatione Divina efficere Pijssima Author non posset, præsertim cum iuxta regulam Sancti Gregorij in Regesto, in intellectu Sacræ Scripturæ respui non debet, quicquid sanæ fidei non resistit? Sanè si quia sensus litterales sint novi, damnandi essent, ferè omnes recentiores Interpretes essent damnandi. Et si ex revelatione non possent accipi, etiam à sexu fœmineo expositiones novæ textuum Sacræ Scripturæ, damnandæ forent revelationes S. Birgittæ, S. Gertrudis, & plures aliæ, in quibus sensus aliquorum textuum fuere revelati, qui prorsus ignoti anteà videbantur. Igitur adhuc admisso, quod V. Mater dixisset, aut explicasset litteralitèr de Maria illum textum, *per me Reges, &c.* esset prorsus immunis à Censura, præsertim cum ipsa loquatur ex revelatione facta, mediante Dei-

para, de quâ protulit Ricardus à S. Laurentio lib. 12. de Laud. B. Virg. *Gratiam largitur maximè diligentibus se, qua Scriptura Sacra de die in diem melius intelligatur*. Et paulò post: *Ipsa enim revelat profunda de tenebris, & cum sit doctrix disciplinæ, amicos Dei, & Prophetas, id est, sapientes constituit*. Hic velim, animadvertas Censuram omninò inconsideratè propalare, seu indicare, quod iuxta vnanimem consensum Patrum liquet illud, *per me Reges, &c.* non posse intelligi litteralitèr de Maria, quia Sancti Patres vnum afferunt, & aliud non negant. Afferunt intelligi, vel de Deo immediatè, vel de Sapientia increata, vel de Christo, vel de sapientia humana iuxta expositionem, quæ intento vniuscuiusque congruebat. Ast non negant, quod posset intelligi litteralitèr de Maria, qui de hoc sensu non agebant.

COROLLARIA.

Ex dictis colliges, quàm detestanda, & indigna viro Theologo sit Censura. Detestanda, quia eius Author ex damnandi libidine ementitus est doctrinam, quam Pijssima Author non tradidit. Indigna viro Theologo, siquidem ex dictis constat, quod Author Censuræ ignoraverit communissimam doctrinam Sanctorum Patrum, & Sacrorum Interpretum circa caput 8. Proverb. asserens inconsideratè prorsus, quod iuxta concordem sententiam Sanctorum Patrum nullo modo posset intelligi litteralitèr aliquis versus illius capitis, nisi de Sapientia incarnata, vel increata; quo supposito, communissimè Interpretes, præsertim omnes recentiores, & plures SS. Patres damnandi forent, siquidem apud hos nihil frequentiùs, quàm in alio sensu ab illo, quem intendit Censura, saltim aliquem versum illius capitis litteralitèr explanare.

Colliges secundò, incredibile prorsus esse nomen Sacræ Facultatis Parisiensis non esse in hac Censura ementitum. Quis enim credet, quod Universitas tanta ignoraverit. Primò, proprium sensum litteralem illius cap. 8. qui præsertim iuxta recentiores exponitur de Sapientia communissimè sumpta, abstracta ab increata, & creata. Secundò, quod Patres, & Interpretes communissimè explicent aliquos versus illius capitis litteralitèr de Sapientia creata. Tertiò, quod iuxta communissimam sententiam Patrum, & Interpretum, vnus numero textus possit sortiri plures sensus litterales. Quartò, quod Deus potest revelare de novo aliquas expositiones Sacræ Scripturæ non cognitas à Doctoribus, & Patribus prædecessoribus. Nunquid in tanto Magistrorum Cœtu non foret aliquis, qui legisset Gerson[em] illius Universitatis Cancellarium, & fulgentissimum lumen, in serm[o]n. de Con-

cept

cept. B. M. V. vbi ait: *Spiritus Sanct. interdum revelat Ecclesiæ, vel Doctoribus posterioribus aliquas veritates, vel expositiones Sacræ Scripturæ, quas non revelavit eorum prædecessoribus?* Sed omnia minus, vbi impositio doctrinæ, quam V. Mater non dixit, est talis nominis ementiti ineluctabile argumentum, & maius.

CERTAMEN X.

REFERTVR DOCTRINA CENSVRÆ subiecta.

NUm. 330. *Potens Altissimi brachium cœpit tunc in ea nova operari prodigia, vltra quàm homines imaginare valent; & primum, magisque stupendum fuit mittere innumeram multitudinem Angelorum, vt deducerent in Cœlum Empyreum in corpore, & anima, illam, quæ præelecta erat in Matrem Verbi æterni, vt Deus disponeret, quæ vellet. Principes beati hunccine exercuere ordinem; & hac amabili Infanti susceptâ de manibus Matris suæ Annæ, pompam procedendi instituerunt solemnem, & novam.*

Num. 382. *Ipsa multoties corporalitèr ferebatur, volente Deo, per ministerium Angelorum, in Cœlum Empyreum.*

CENSURA.

HÆ *Propositiones falsæ sunt, temerariæ, & contrariæ Verbo Dei; Ioan. cap. 14. v. 2. Vado parare vobis locum. Ad Hebr. 6. v. 19. & 20. Spem habemus incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi Præcursor pro nobis introiuit Iesus, &c. vers. 19. Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam.*

NOTA.

DOctrina relata in aliquibus ementita est, sed quia respectu Propositionum, quæ damnantur, nihil interest, à vindicatione falsitatis relationis abstineo. Igitur duæ Propositiones damnantur. Prima, *Quod Deipara fuerit rapta secundum corpus, & animam in Cœlum Empyreum, dum esset in via.* Secunda, *Quod hoc factum fuerit multoties.*

PRO.

DEMONSTRATUR, HAS PROPOSITIONES VENER. *Matris, vt assertas ex revelatione, esse prorsus immunes à Censura.*

VT assumptum demonstretur, prius oportet modum examinandi revelationes ex parte materiæ demonstrare. Vt igitur aliqua Propositio revelata ex parte materiæ approbetur, sufficit, quod revelari posSit. Vt autem cognoscatur, an posSit cadere sub revelatione, sufficit, quod non repugnet in se, nec sit contraria regulis Fidei, & concordi sententiæ SS. Patrum, aut doctrinæ, quæ consequentèr ad doctrinam Ecclesiæ, traditur absque altercatione à concordi calculo Theologorum. Hæc generalis regula approbandi revelationes ex parte materiæ vulgaris est apud Theologos Mysticos, agentes de distinctione verarum à falsis revelationibus. Ita procedit Card. Turricrem. in examine revelationum S. Birgittæ, vt constat specialitèr ex eius Prolog. cap. 6.

Vnde doctisSimus Pater Martinus Delrio lib. 4. disquis. magic. cap. 1. q. 3. sect. 4. ait: *Si quid forte communiori Scholasticorum sententiæ repugnet, non ideò confestim damnandum, vt erroneum, cum piè, & prudentèr intellectum suis quoque probatis Authoribus, & rationibus non absurdis, stabiliatur. Alioqui Pontifices Romani, vt Eugenius III. Hildigardis, Bonifacius verò VIII. Birgittæ, revelationum libros, adhibito maturo Doctorum, & Cardinalium Concilio, atque examine, non permisissent ad Ecclesiæ vtilitatem in vulgus edi.*

Et quidem hæc regula examinandi revelationes ex parte materiæ, & approbandi, non potest non constare ex Concilio Basiliens. approbante revelationes S. Birgittæ, & ex ipsa Ecclesia, quæ nos præcipit dicere in Oratione Officij S. Birgittæ: *B. Birgittæ, per Filium tuum vnigenitum secreta cœlestia revelasti.* Ratio est, nam in revelationibus S. Birgittæ plura continentur, quæ erant sub controversia, & adversus quæ non pauca videbantur stare testimonia Patrum, imò Sacræ Scripturæ, qualia sunt immunitas Conceptionis Virginis à lege peccati originalis, & eius Assumptio corporalitèr in Cœlum Empyreum. Hæc autem revelata fuere S. Birgittæ. Ex alijs autem, quæ non fuere tacta à SS. Patribus, nec expresSè ab alijs Doctoribus innumera exempla sunt in revelationibus S. Birgittæ, & obvia etiam sunt exempla revelationum, adversus quas videbatur stare communior sententia Scholasticorum. Hinc igitur regulam approbandi revelationes ex parte materiæ devoluit S. Augustinus de Gen. ad litt. lib.

12. cap. 14. ad hoc principium, videlicèt, quod revelationes non sint *contra bonos mores, vel regulam Fidei.* Videatur Suarez de Fide, disp. 3. sect. 10. num. 7.

Stabilita ex communi calculo Patrum, & Theologorum hac regula generali examinandi revelationes ex parte materiæ, restat demonstrare, quod doctrina V. Matris non repugnet in se, nec contrarietur regulis Fidei, Scripturæ, Patribus, aut Theologis, non solùm quoad concordem eorum sententiam, imò nec vllo modo. Et in primis, quod non repugnet in se, omninò videtur evidens: tùm, quia cum in hoc, quod B. Virgo rapta fuerit secundum corpus, & animam in Cœlum, nulla possit assignari manifesta contradictio, non est Divinæ Omnipotentiæ denegandum. Tùm, quia positivè constat hoc esse possibile; nam si hoc impossibile foret, ipsa B. Virgo non posset dici assumpta in sua Assumptione secundum corpus, & animam in Cœlum Empyreum. Tùm, quia hoc constat ex B. Paulo Apostolo, qui de suo raptu vsque ad tertium Cœlum, (quod iuxta communissimam sententiam Sanctorum Patrum, & Sacrorum Interpretum, fuit Cœlum Empyreum) ait: *Sive in corpore, sive extra corpus nescio.* Ex quibus evidentèr constat, Paulum supponere se potuisse rapi secundum corpus in Cœlum, dum adhuc esset in via. Unde S. Ambrosius super hunc locum secunda ad Corinth. cap. 12. v. 2. profert: *Vtrumque confirmavit, quia vtrumque posse fieri non negavit, vt & sine corpore rapi potuisset, & in corpore.* Et posteà subdit: *Non enim dubitat Apostolus adhuc mortale corpus potuisse elevari ad Cœlos, & tolli in Paradysum Dei Patris Cœlestem.* Ita sentiunt vniversalitèr Theologi, cum Angelico Præceptore, 2. 2. quæst. 175. art. 5. & Sacri Interpretes. Ex his constat efficacitèr non repugnare aliquem viatorem rapi corporalitèr in Cœlum Empyreum. Et consequentèr nec repugnat, quod rapta fuerit B. Virgo, cum adhuc esset viatrix.

Ostendamus nunc, quod doctrina V. Matris non opponatur Fidei, Scripturæ testimonijs, Patribus, aut Theologis. Et in primis certum est, quod hæc Propositio: *Sanctissima Virgo non fuit rapta secundum corpus, & animam pro aliquo brevi spatio in Cœlum Empyrium, dum esset viatrix*, nec est definita ab Ecclesia, nec expressa in Scriptura Sacra, nec asserta expressè à concordi sententia Sanctorum Patrum, nec à concordi sententia Theologorum: ergò contradictorium talis Propositionis, quod est Propositio V. Matris; videlicèt, *quod Sanctissima Maria, dum esset in via, fuit rapta secundum corpus, & animam in Cœlum Empyreum transeuntèr pro aliquo brevi spatio*; nec opponitur Fidei, nec Scripturæ testimonijs, nec concordi sententiæ Patrum, aut Theologorum; imò in rei veritate nulli Sancto Patri opponitur, quia nullum

appa-

apparet testimonium Sanctorum Patrum, quod expressis terminis neget, quod Virgo Maria rapta fuerit tali modo transeuntèr, & pro brevi spatio.

Probatur principalitèr præcedens assumptum: eatenus iuxta Authorem Censuræ talis Propositio V. Matris esset reijcienda, quatenus contrariatur Sacræ Scripturæ, ex qua constat, quod Christus fuit primus, qui introivit in Cœlum Empyreum, quod videtur deduci expressè ex triplici loco Scripturæ assignato in Censura, videlicèt ex cap. 14. Ioan. v. 2. vbi Christus dixit: *Vado vobis parare locum*. Et ad Hebræos 6. vers. 19. & 20. *Spem habemus incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introivit Iesus. Et cap. 10. v. 19. Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam*. Sed licèt verum sit quod V. Mater loquatur de Deipara ante Ascensionem Christi super omnes Cœlos, tamen eius doctrina his textibus improbari non valet: ergò omninò iniustè damnatur illa Propositio V. Matris. Probatur minor, in qua tota est difficultas: iuxta communissimam sententiam Theologorum Propositio V. Matris non potest contrariari locis supra relatis Scripturæ: ergò illis textibus improbari non valet.

Probatur antecedens multiplicitèr. Primò, quia illa loca intelliguntur de essentiali beatitudine, ita vt nullus ante Christi mortem accepisset beatitudinem essentialem. Constat hoc ex Eximio Doctore Suarez 2. tom. in 3. p. disp. 49. sect. 1. vbi ita intelligit illum locum Paul. ad Hebr. cap. 10. & illum Ioan. cap. 14. adducens pro se D. Thomam, & Anselm. & similitèr intelligit alterum locum ad Hebr. cap. 9. probans ex his locis nullam animam consequutam fuisse essentialem beatitudinem ante Christi mortem: & asserens in hoc sensu intelligere Theologos Christum in morte sua aperuisse hominibus ianuam Cœli. Audiantur verba Suarez: *Nihilominus*, inquit, *certa fide tenendum est ante Christi mortem, nullam animam, quantumvis sanctam, & puram, essentialem beatitudinem accepisse, ita docent Theologi in 3. dist. 18. & in 4. dist. 2.* Et postquam adduxit D. Thomam, Alexandrum Alensem, & Scotum, ita subdit: *Et reliqui, qui hoc sensu tradunt Christum morte sua aperuisse hominibus ianuam Regni, quod potius de essentiali beatitudine, quam de corporeo loco Cœli Empyrei intelligendum esse, tradit etiam Innocentius in cap. Maioris, de baptismo.* Ex his subsumo: Sed V. Mater non asserit B. Mariam consequutam fuisse essentialem beatitudinem, quæ includit permanentiam, & perpetuitatem, sed solùm dicit, quod fuerit rapta secundum corpus, & animam in Cœlum transitoriè, & pro brevi tempore: ergò iuxta communem intelligentiam Theologorum, doctrina V. Matris non potest contrariari locis Scripturæ supra adductis.

Con-

Confirmatur: ex Eximio Doctore Suarez, & communi sententia Theologorum, quod Christus aperuerit nobis ianuam Cœli, & consequentèr, quod fuerit primus, qui ingressus fuerit Cœlum Empyreum, in quos sensus collimant textus supra relati, videlicèt: *Vado parare vobis locum: Præcursor pro nobis introivit Iesus: Initiavit nobis viam novam*, potius intelligendum est de essentiali beatitudine, quàm de corporeo loco Cœli Empyrei, ex Innoc. cap. *Maioris, de baptismo*: ergò ex illis locis maiori vi deberet deduci, quod nulla creatura ante Christum fuerit suffulta visione beatifica, licèt transeuntèr, quàm quod nulla creat[illegible]ra f[illegible]erit rapta in Cœlum Empyreum transeuntèr, & pro brevi spatio. Tùm sic: sed est communis sententia Theologorum recentiorum, quos citabimus Propugnaculo sequenti; quod B. Virgo in sua Conceptione fuerit suffulta visione intuitiva Dei transitoriè, & similitèr in Nativitate, & in Incarnatione, iuxta plures Sanctos Patres, & consequentèr, quod prius viderit Divinam essentiam, quàm Christus, intuitivè: ergò si hoc non obstante, talis communis sententia non contrariatur textibus supra relatis, & vt secura admittitur, sequitur quod Propositio V. Matris iuxta probabilissimam sententiam Theologorum, & plurium Patrum, illis locis Scripturæ contrariari nequit: ergò immeritò prorsus nititur Censura illis Scripturæ locis, vt configat doctrinam V. Matris.

Roboratur vrgentèr præcedens assumptum: maius beneficium est videre Deum intuitivè, quàm rapi secundum corpus, & animam in Cœlum Empyreum: sed in Sacra Scriptura, pretèr textus allegatos in Censura, sunt alia plura testimonia, quæ expressè videntur negare, aliquem viatorem vidisse intuitivè Deum, vt Ioan. 6. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo.* Et cap. 1. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Et ad Timot. 1. cap. 6. *Quem nullus hominum vidit*: & hoc non obstante, ingens multitudo Sanctorum Patrum tribuit visionem intuitivam Dei Adamo, & Paulo viatori, cui ipsam tribuit vtraque Schola, Thomistica, & Scotica, cum suis Præceptoribus Angelico, & Subtili, quos in Propugnaculo sequenti citabimus; intelligendo illa loca Scripturæ de visione intuitiva permanenti, & non transeuntèr: ergò licèt loca Scripturæ, in Censura relata, negarent primario, & principalitèr ingressum in Cœlum Empyreum vel viatori, vel absolutè ante mortem Christi, deberent intelligi de ingressu in Cœlum Empyreum ad permanentem possessionem illius loci; & consequentèr raptus corporalis B. Mariæ, aut alterius puræ creaturæ viatricis transitoriè, & pro brevi spatio, non potest opponi ipsis.

Roboratur amplius assumptum, quia vt constat Exod. 33. ipsimet

Moysi petenti Domini conspectum, respondit Deus: *Non poteris videre faciem meam.* Sed hoc non obstante, tribuunt in hac vita visionem intuitivam Moysi plures Sancti Patres postea citandi, & communis sententia Theologorum vtriusque Scholæ, Thomisticæ, & Scoticæ: ergò ille locus non potest intelligi de visione intuitiva transeunti iuxta præfatam communissimam sententiam, sed de beatitudine essentiali, seu de visione intuitiva permanenti. Cur ergò textus appositi in Censura non poterunt intelligi de introitu in Cœlum, de apertione ianuæ Cœli ad permanentem, & perpetuam mansionem? Sic autem intellectis, sufficientissimè salvatur Principatus Christi in ingressu ad Cœlum Empyreum per hoc quod fuerit primus, qui ingressus fuerit Empyreum Cœlum ad permanentem, & perpetuam mansionem in tali loco. Unde talis Principatus Christi minimè opponitur doctrinæ V. Matris, quæ solùm asserit, quod B. Virgo rapta fuerit corporalitèr in Cœlum transeuntèr, & pro brevi spatio.

Probatur secundò assumptum principale: Nulli potest esse dubium, quod illa tria loca adducta in Censura primario, & principalitèr debeant intelligi de visione Beatifica, ita vt nullus ante Christum, & ingressum Christi in Cœlum, assequutus fuerit visionem Beatificam; siquidem per ingressum in Cœlum Empyreum, non solùm intelligitur ingressus materialis Cœli Empyrei, sed primario, & principalitèr consequutio visionis intuitivæ Dei iuxta communissimum modum loquendi Patrum, Theologorum, & Catholicorum vulgaritèr. Quod amplius liquet, quia illud Ioan. cap. 3. *Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo,* principalitèr intelligitur de visione Beatifica, vt latè propugnat Salmeron tom. 8. in Evangelia, tract. 6. Pereyr. in Genes. lib. 7. cap. 5. q. 3. Caietanus, Tirinus, Cornelius, & communitèr Sacri Interpretes. Tùm sic: sed iuxta ingentem multitudinem Patrum, & Theologorum tribuentium visionem intuitivam transitoriè Adamo, Moysi, Eliæ, & B. Mariæ ante Incarnationem, illa loca non possunt intelligi, nisi de visione intuitiva permanenti, ita vt Christus Dominus noster fuerit primus, qui assequutus fuerit visionem intuitivam permanentem, & in hoc sensu Præcursor omnium, & initiator viæ novæ: ergò à fortiori debent intelligi quantum ad ingressum materialem Empyrei de ingressu ad permanentem, & perpetuam habitationem; ita vt Christus in hoc sensu fuerit primus, qui ingressus fuerit, & initiator viæ novæ.

Probatur tertiò principale assumptum principalitèr, & directè: Si propter aliquam rationem opponeretur Scripturæ, aut Patribus talis raptus corporalis Mariæ in Cœlum Empyreum ante mortem Christi, maximè, quia ante eius mortem erat Cœlum clausum, & erat

lex

lex, ne aliquis ascenderet in Cœlum ante Christum, iuxta illud Sancti Gregorij Magni in Psalm. 3. Pœnit. *Nullus hominum in Cœlum ascenderet, nisi Filius Dei pro nostra salute carnem assumpsisset.* Quod colligitur ex locis Scripturæ adductis in Censura, & ex alijs, etiamque ex Patribus, & Theologis. Sed hæc ratio, quæ videtur vrgentior adversus talem raptum corporalem, debent fateri vniversalitèr Theologi, quod tali raptui minimè obstet: ergò. Probatur minor: Ratio ob quam Cœlum erat clausum, fuit peccatum Adami, vt tenet D. Thomas q. 48. art. 5. D. Bonaventura in 3. dist. 18. art. 2. q. 3. Scotus in 3. dist. 3. q. 1. num. 19. & vniversalitèr Theologi, cum Magistro Sentent. in 3. dist. 18. vnde Suarez loco supra citato, §. 4. ait: *Ratio à priori huius veritatis ex ordinatione, ac lege Divinæ Iustitiæ sumenda est, quæ in lapsu totius humanæ naturę fundamentum habuit: Adam enim peccando omnibus hominibus clausit Regnum Cœlorum, nam totam naturam humanam in sua radice infecit, ac propterea indignam æterna beatitudine reliquit.* Ex ideò Angelis non fuit cœlum clausum, quia infecti haud extitère labe originea. Tùm sic: sed beatissima Virgo non fuit comprehensa in lege origineæ labis: ergò non debet dici, quod Cœlum erat clausum respectu illius, imo absolutè debet dici, quod ipsa non erat comprehensa in lege Cœli clausi; siquidem non habuit obstaculum peccati primi Parentis, quod fuit tota ratio talis legis.

Sanè si Author Censuræ decurrisset dicta V. Matris à num. 337. vsque ad num. 341. hanccine ipsissimam perlegisset doctrinam, & rationem ex ore ipsiusmet B. Virginis. Investigavit Pijssima Author, quomodo si Cœlum erat clausum ante Christi mortem, potuit ipsa Sanctissima Virgo ingredi Cœlum Empyreum, & ipsi ipsa Sanctissima Virgo respondit num. 340. *Quia non habui obstaculum primi peccati, impedimentum non habui, quod cæteri mortales habuerunt, vt ingrederer illas cœli ianuas æternales.* Ex his, & ex a js supra dictis constat manifestè, quod Propositio Pijssimæ Authoris minimè opponitur testimonijs Scripturę, aut Sanctorum Patrum, imo nec vlli Sancto Patri, aut Theologo, quem viderim, opponitur.

Sed dices: S. Epiphanius orat. de Christ. Ascens. S. Anselmus lib. 4. de Fide, cap. 1. Cornelius à Lapide in Epist. ad Hebr. cap. 9. vers. 8. Maldonat. in Ioan. cap. 14. vers. 2. & aliqui alij S. Patres, & Interpretes docent *ante Christum, Christique mortem, nullam animam, quamtumvis sanctam, & puram, cœlum introisse*: ergò Propositio V. Matris opponitur aliquibus Sanctis Patribus, & Interpretibus. Respondetur facilitèr ex dictis, quod cum nullus ex his Patribus, aut Interpretibus agat in speciali de Maria, nulli horum opponitur Propo-

sitio V. Matris; quia intelligendi sunt de anima comprehensa in lege originea labis, à qua lege extitit immunis B. Virgo. Deinde intelligendi sunt de ingressu in Cœlum Empyreum ad mansionem permanentem, in quo sensu verum est, quod nulla anima, (Anima Sanctissimæ Deiparæ haud excepta) ingressa fuerit Cœlum Empyreum ante Christi mortem. Nec obstant, aut Patres, aut Doctores, aut Theologi, quatenus asseverent, quod Christus fuit primus, qui carnem tulit in Cœlum. Non obstant, inquam, quia iste primatus Christi Domini nostri sufficientissimè salvatur, & intelligitur per hoc quod fuerit primus, qui introierit corporalitèr Cœlum ad mansionem permanentem; & deinde quia vt docent Origenes in Apolog. Pamphil. & Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 51. sect. 2. Eodem modo dicitur Christus primus ascendentium ad locum cęlestem, quo dicitur primus resurgentium à morte. Tùm sic, sed iste primatus Christi in resurrectione mortuorum non intelligitur de resurrectione vtcumque, sed de resurrectione ad vitam immortalem, & inamissibilem; siquidem ad vitam mortalem, & vlterius amissibilem prius alij resurrexère: ergò primatus Christi Domini nostri in ingressu Cęli Empyrei debet intelligi de ingressu ad permanentem mansionem, quin obstet, quod eius Sanctissima Mater transeuntèr, & pro aliquo brevi spatio corporalitèr rapta fuerit prius.

Ex dictis constat secundam Propositionem Ven. Matris, videlicèt, quod B. Maria rapta fuerit in infantia multoties, licèt transeuntèr, secundum corpus, & animam in Cœlum Empyreum, esse prorsus alienam à Censura. Ratio est, quia si non repugnat in se, nec contrariatur Fidei, Patribus, aut Theologis, quod rapta fuerit semel transeuntèr, nec repugnabit, aut contrariabitur, quod rapta fuerit bis, tèr, aut quinquies, & consequentèr multoties. Siquidem testimonia adducta in Censura, & aliæ rationes supra appositæ, dummodò non obstent raptui corporali facto semel, obstare nequeunt, vt evidens videtur, facto aliquoties, aut pluries, cum semper sit transeuntèr. Tandem velim advertas, quod B. Virgo, licèt statim ac nata est, in Cœlum fuerit Empyreum corporalitèr ingressa, minimè potest dici ingressa, vt *pararet nobis locum*, nec *vt Præcursor pro nobis*, nec *vt Initiaret nobis viam*; siquidem viam nobis non aperuit. Unde eius raptus corporalis minimè opponitur testimonijs Scripturæ adductis in Censura: sicut nec quod Angelus, v.g. Gabriel introierit prius quàm Christus Cœlum Empyreum: siquidem non propterea dicitur, quod paravit nobis locum; quod sit Præcursor noster pro nobis, aut quod nobis Cœlum aperuerit.

PRO

DEMONSTRATVR PROPOSITIONEM VENER. Matris de raptu corporali transeunti deduci sufficientissimè ex Patribus, & Theologis, esseque absolutè satis positivè probabilem, proptereàque eius doctrinam immunem à Censura.

OPeræ pretium est aliqua prælibare, vt probabilitatem appositæ doctrinæ clarigemus. Igitur suppono primò: Plausibilem stare opinionem asseverantem, quod si B. Virgo ante mortem Filij sui ex hac vita migraret, Beatifica foret visione, & fruitione Dei suffulta, vtpotè excepta à lege cœli clausi ante mortem Christi, ex eo, quod fuerit excepta à lege peccati originalis; quæ lex fuit ratio, & causa illius alterius legis. Hanc opinionem inter alios tradit Sapientissimus Gerson Cancellarius Parisiensis, & dicitur fuisse communitèr receptam in Universitate Parisiensi, imò & à tanto Lycæo stabilitam, determinatamque ann. 1530. cuius Universitatis duo famigeratissimi Doctores absolutè asseverant, quod in tali casu B. Virgo, non solùm foret Beatifica visione suffulta, sed ingressa quoque ianuam Paradysi, quæ ianua illi lege speciali aperta foret. Primus Doctor est Franciscus Martini, Carmelita, in suo opere de Immac. Concept. quod extat in Monum. Antiq. Immac. Concept. à pag. 207. Secundus Doctor Parisiensis est Ioannis Vitalis, Franciscanus, in defensor. B. M. V. lib. 4. cap. 11. propè medium, vbi ait: *Si fuisset mortua ante Filium, fuisset ducta lege privata, & fuisset Beata, & sibi aperta ianua Paradysi de gratia speciali.* Extat hoc defensorium in Monument. Antiq. Seraphic. pag. 174. Ex quibus sequitur, quod iuxta hanc opinionem apertum fuisset Dei Genitrici Cœlum Empyreum, quia sicut claudere Paradysum fuit claudere Cęlum, vt docet Ser. Doctor in 3. dist. 18. art. 2. q. 3. ita pariformitèr, cui ianua Paradysi foret aperta, etiam ianua Cœli aperta foret. Ex hac opinione saltim probabili sequitur saltim probabilitèr, quod illa lex Cœli clausi ante mortem, & Ascensionem Christi, aut Mariam non comprehendat, aut sit dispensabilis cum ipsa, præsertim pro aliquo brevi spatio, quod ad nostrum superest intentum.

Suppono secundò, quod Adamo statim post eius creationem concessa fuit visio intuitiva Dei iuxta probabilem opinionem, quam tradit Egydius de Præsent. lib. 12. de Beatit. q. 8. art. 4. num. 6. suffultam authoritate Augustini lib. 9. de Gen. ad litt. cap. vlt. Et S. Bernardi serm. 2. in Septuag. Similitèr iuxta probabiliorem opinionem

visio intuitiva Dei concessa fuit Moysi in via, ita Schola Thomistica; nec Scotica dissonat cum Angelico Præceptore, 1. p. q. 12. art. 11. ad 2. ex expressa mente S. Augustini pluribus in locis, præsertim epist. 112. cap. 28. S. Basilij homil. 1. Examer. S. Ambrosij lib. 1. Examer. cap. 2. Deinde quod visio intuitiva Dei concessa fuerit B. Paulo in via, est probabilissima, & communissima Theologorum opinio, quam tenet Schola Thomistica cum D. Thoma 2. 2. q. 175. art. 3. & Scotica cum D. Subt. pluribus in locis, præsertim in Prolog. sentent. q. 2. num. 12. & in quodlib. q. 7. art. 2. ex expressa mente S. Augustini, S. Clementis Alexandrini, S. Ioannis Chrisostomi, S. Anselmi, Theophilat. Glossæ Interlinealis, Lyrani, & Hugo Victorini, quos omnes citat Illustr. Samaniego in Not. 26. ad 1. Part. Oper. V. Matris. Ex his sequitur, quod status viatricis non obstet raptui corporali transeunti B. Virginis in Cœlum, quia sicut non obstat, vt Adamus, Moyses, & Paulus vidissent intuitivè Deum, licèt essent viatores (quod etiam asseritur ab alijs de Elia, de S. Stephano, de S. Benedicto, & S. Ignatio de Loyola) ita non obstat raptui transeunti corporali Mariæ in Cœlum Empyreum ad visionem intuitivam Dei transeuntem.

Suppono tertiò, esse probabilissimam opinionem asseverantem Deiparam vidisse intuitivè Deum, licèt transeuntèr ante Incarnationem. Ita ingens multitudo Patrum, & Theologorum, S. Bernardus, S. Antoninus de Florentia, S. Bernardinus Senens. Rupertus, Albertus Magnus, apud Quintanillam, Doct. Salmantic. Sacræ Paginæ, & linguæ Primarium Antecessorem, in suo Tabernaculo Fœderis, tom. 1. lib. 1. num. 637. hoc ipsum asserunt Suarez 2. tom. in 3. p. disp. 19. sect. 4. Salazar de Concept. cap. 32. Guevara, Vbertinius Casalius, Gregorius Lopez, qui censent B. Virginem pluries intuitivè Divinam vidisse essentiam, Gersonius, Cancellarius Parisiensis, in Magnif. Alphab. 82. Sylvester de Saavedra, tract. de Sac. Deip. dis. 19. à numer. 714. Mendoza in Virid. lib. 2. Problem. 10. Ioan. Baptista Zamora de Eminent. Deip. lib. 2. cap. 36. Pinto Ramirez tom. de Concept. num. 483. Sherlogius tom. 3. in Cantic. vestig. 34. num. 46. Castillo de vestibus Aaronis, mihi pag. 426. & alij plurimi, quos longum esset recensere, quia in hac tempestate nihil frequentiùs, quàm B. Virginem in sua Conceptione fuisse intuitiva Dei visione suffultam. Videantur plures apud Illust. Samaniegum in Nota citata, §. 9.

Suppono quartò, esse sententiam satis probabilem asseverantem Beatum Paulum raptum fuisse secundum corpus, & animam in Cœlũ Empyreum, pro qua sententia extat cèlebris Schola Thomistica, quia est satis expressa eius Sanctissimi, & Angelici Præceptoris 2. 2. quæst. 175. art. 5. in corpore: *Vbi ait in raptu*, videlicèt, Pauli, *non fuit ne-*

ces-

ceffarium, quod anima fic fepararetur à corpore, vt ei non vniretur quafi forma. Doctorem Angelicum fectantur Interpretes inter quos Cornelius, qui ad illum locum Pauli ad Corinth. 2. cap. 12. v. 2. ait: *Suauius, & naturalius manens in corpore rapi potuerit, vti alij Sancti rapti funt.* Et inferiufculè afferit, raptum fuiffe corporalitèr, afsignans huius beneficij rationem, per hæc verba: *Iam fi realis fuit raptus animæ, & anima manfit corpori coniuncta, videtur & Pauli corpus raptum fuiffe cum anima in Paradyfum. Hoc enim Deo æquè facilè eft, ac folam animam rapere: & congruum, dignumque Paulo, qui non Iudæorum tantùm vt Moyfes, fed & Gentium omnium cœleftis futurus erat Doctor, & Apoftolus.* Quæ verba procedunt de raptu corporali Pauli in Cœlum Empyreum, ita vt in eo localitèr exifteret, vt conftat ex numer. 129. ibid.

His præfuppofitis, fic probatur Propofitio V. Matris. Rupertus, cui fubfcribit Suarez in 3. p. difp. 19. fect. 4. in illud Cantic. *Oculi tui columbarum,* faxit: *Virginem raptam fuiffe in tertium Cœlum, & vidiffe arcana myfteria, quæ non licet homini loqui, perfectius, & excellentius, quàm Paulum.* Et S. Bernardinus Senenf. tom. 3. ferm. 36. p. 3. agens de Maria ante Incarnationem, inquit: *Plufquam Paulus Apoftolus raptus fine comparatione, quia fi effent tot Pauli, quot funt creaturæ, non attingerent fuum contemplari; nam Paulus fuit Vas Electionis; Virgo verò Maria fuit Vas Diuinitatis.* Ex quibus fic fubfumo: Sed Paulus iuxta probabilem opinionem raptus fuit fecundum corpus, & animam in Cœlum Empyreum, & hoc ante annos quatuordecim, vt ipfemet teftatur 2. ad Corinth. cap. 12. ergò cum Maria longè perfectius, & excellẽtius rapta fuerit vfque in tertium Cœlum, fequitur, feu fufficientèr deducitur, quod rapta fuerit etiam fecundum corpus, & animam in Cœlum Empyreum antea in fua Infantia: ergò probabile eft, quod rapta fuerit fecundum corpus, & animam in Cœlum Empyreum ante Incarnationem, & confequentèr nihil obftat, quod rapta fuerit ftatim poft eius Natiuitatem.

Roboratur præcedens probatio: S. Paulus ideo raptus fuit corporalitèr in Cœlum Empyreum iuxta probabilem opinionem, quam fupponimus, quia electus fuit à Deo vt portaret nomen Domini coram gentibus, iuxta illud act. 9. v. 15. *Vas Electionis eft mihi ifte, vt portet nomen Domini coram gentibus.* Unde hoc beneficium eximium fuit ante dignitatem iftam Paulo collatum, vt Deus illum præpararet ad dignitatem Apoftolatus maiori exercendam perfectione. Ita fentit exprefsè Rupertus citatus, & communifsimè Sacri Interpretes. Tùm fic: fed, vt ait S. Bernardinus citatus, Paulus fuit Vas Electionis; Virgo verò Maria fuit Vas Diuinitatis: ille perfecutor, & peccator,

Ma-

Maria semper munda,& purissima: ille servus, Maria Regina Angelorum,& Dei Mater: ille Vas portans nomen Domini, Maria Vas portans ipsum Verbum æternum. Si ergò Paulus raptus fuit in Cœlum secundum corpus, & animam ante quàm actualitèr portaret nomen Domini, quidni Maria ante quàm portaret Verbum æternum, hoc est, ante Incarnationem; & consequentèr quidni statim post suam Nativitatem?

Probatur secundò ostendendo quàm consonum sit Patribus, quod B. Virgo pluries fuerit rapta secundum corpus in Cœlum: Et in primis D. Hieronymus, vel quisquis est illius Epistolæ ad Cromatium, & Elyodorum Author, quæ habetur, tom. 4. ad finem, sic profert: *Iam quippe Dominus in Virginis sua infantia magnum quid operabatur.* Et inferiusculè subdit: *Quotidie namque ab Angelis frequentabatur, & postea conversabatur cum Senatoribus Cœli intra curiam Paradysi.* Ex his, cum nulla ratio obstet, satis infertur, quod B. Virgo ab infantia sua pluries fuit prædita visione Dei intuitiva, & introducta in Cœlum Empyreum: nec de alio Paradyso intelligi valent illa verba: *Conversabatur cum Senatoribus Cœli intra Curiam Paradysi.*

Consonat S. Bernardus serm. 2. de B. Virgine, vbi profert: *Credendum est Christum frequentèr Matrem suam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris sublimasse, in cellam vinariam occultasse; sui provt novit, & voluit gloriam Deificam, & super cœlestem revelasse notitiam.* S. Antoninus de Florentia 1. p. tit. 15. cap. 17. §. 1. prope finem, agens de Maria post instans Incarnationis, ait: *Proptèr quod, & vita eius cum Christo abscondita in Deo semper, & curiæ Angelicæ presens intra Sanctuarium Dei habitauit.* Pro eàdem sententia citat S. Antoninus Albertum Magnum. Ex his sic arguo: ex eo quod aliqui S. Patres tribuerint Deiparæ privilegium visionis intuitivę Dei in Incarnatione, in Nativitate Christi, & post Ascensionem Domini; illud idem opinati fuere gravissimi Authores, vt videre est apud Salazarium, & Quintanillam supra citatos, concessum fuisse Sanctissimæ Virgini in Conceptione: ergò æquali fundamento, ex eo quod Bernardus, Antoninus, & Albertus asserant, Mariam viatricem intrasse Cęlum Empyreum, saltim post Incarnationem, & Ascensionem, quod intelligendum est transeuntèr, potest probabilitèr dici hoc privilegium introeundi cęlum concessum fuisse etiam Mariæ ante Incarnationem, & in eius Nativitate transeuntèr.

Roboratur ex Ruperto lib. 3. in Cantic. cap. 4. v. 1. vbi ait: *Si quispiam dixit, & teste Deo, vel conscio, non mentiens, dixit, raptum se fuisse in Paradysum, sive vsque ad tertium Cœlum, ita vt nesciat sive in corpore, sive extra corpus raptus fuerit, & audisse arcana verba, quæ*

non licèt homini loqui; quanto magis tu, Regina Cœlorum, præsæpè cœlestibus interfuisti. Modò subsumo: sed Paulus raptus fuit secundum corpus, & animam in Cœlum Empyreum iuxta probabilem opinionem; & hoc ante quam portaret nomen Domini: ergò Maria ante quam portaret VerbumDei, rapta fuit in Cœlum Empyreum præsæpè iuxta illationem Ruperti; & consequentèr mirari non debemus, quod dixerit V. Mater B. Virginem secundum corpus, & animam in Cœlum raptam fuisse corporalitèr ante Incarnationem, & pluries.

Nec silentio involvendum iudicium de introitu Mariæ viatricis in Cœlum Empyreum, prolatum à Doctis. Gislerio in Cantic. cap. 1. v. 4. Expos. 4. ait enim: *Neque verò quidpiam, vel à pietate, vel à veritate abhorrens, quis diceret, si assereret B. Virginem per hac verba (videlicèt, introduxit me Rex in cellaria sua) non tantùm significare se à Spiritu Sancto plenius eruditam de Divinis Mysterijs: verum etiam pro brevi aliquo temporis spatio introductam in Christi cellaria, atque in Cœlum Empyreum, vt & Divinam essentiam intuita sit visione Beatifica.* Modò subsumo: sed V. Mater in prima Propositione nihil aliud asserit, nisi quod B. Virgo introducta fuerit ab Angelis in Cœlum Empyreum pro aliquo brevi spatio, in quo vidit Deum intuitivè: ergò hæc Propositio iuxta mentem Gislerij nihil à pietate, vel à veritate abhorrens continere valet.

Probatur tertiò principalis Propositio V. Matris: Maius beneficium est videre intuitivè Deum, quàm rapi secundum corpus ad Cœlum Empyreum; sed probabile est, iuxta plurimos Authores adductos in 3. notabili: Imò probabilissimum Mariam vidisse intuitivè Deum pluries ante Incarnationem. Unde Sherlogius supra citatus ex expressa mente Mendozæ, & Salazarij, asserit hoc evenisse Mariæ in momento Conceptionis suæ Immaculatæ, in sua Nativitate, & in Filijs sui Incarnatione: ergò probabile est, quod etiam ante Incarnationem B. Virgo pluries in Cœlum Empyreum secundum corpus, & animam fuerit rapta transeuntèr. Probo consequentiam: Ideò communitèr Authores asserunt, hoc privilegium fuisse concessum Mariæ, quia cedit in eius maiorem gloriam, & perfectionem, & deinde non repugnat in se, nec opponitur doctrinæ Ecclesiæ, aut Patrum; sed etiam, quod Virgo rapta fuerit secundum corpus, & animam in Cœlum ante Incarnationem, & hoc pluries, cedit in eius maiorem honorem, & gloriam, non repugnat in se, nec contrariatur Ecclesiæ Patribus, aut Theologis, & sufficientèr constat ex Propugnaculo antecedenti: ergò potest piè, & probabilitèr teneri talis opinio.

Confirmatur: Ideò plures Theologi ex supra relatis notabili tertiò censent B. Mariam in Conceptionis instanti visione Divina fuisse

suffultam; quia talis visio fuit concessa Paulo in via, vt videre est apud Quintanillam citatum num. 640. qui ex eo, quod Paulus in suo conversionis instanti raptus est, infert, quod B. Virgo vidit intuitivè Deum in suo Conceptionis momento. Ergò ex eo, quod Paulus raptus fuerit corporalitèr in Cęlum in instanti, in quo per conversionem suam renatus est Deo, similitèr potest deduci, quod Virgo rapta fuerit corporalitèr in Cęlum, statim ac nata est. Ergò piè, & probabilitèr potest dici, quod Virgo Beata statim post Nativitatem suam, rapta fuerit corporalitèr in Empyreum Cęlum. Præsertim, quia vt canit Ecclesia in Officio Immaculatæ Conceptionis Ordinis Minorum: *Nihil est candoris, nihil est splendoris, quod non resplendeat in Virgine gloriosa.* Vt amplius verificetur illud S. Thomæ de Villanova, serm. 2. de Nativitate Virginis: *Intelligas, nihil gratiæ, aut perfectionis, aut gloriæ, quam animus in pura creatura concipere posset, defuisse.*

Probatur quartò: Est principium apud Theologos ferè indubitatum ex plurimis Patribus, præsertim ex S. Bernardo, epist. 174. *Quod illud, quod vel paucis mortalium constat esse collatum, fas certè non est suspicari tantæ Virgini esse negatum.* Unde Albertus Magnus lib. de B. Virg. cap. 70. & 71. faxit: *Perspicuum est, & ex terminis per se notum B. Virgini perfectius collatas esse omnium Sanctorum gratias.* Sed plurimis viatoribus collata fuit visio intuitiva Dei, videlicèt Adamo, Moysi, Paulo, & Stephano, & alijs, vt constat ex notabilibus: ergò hoc beneficium longè perfectiori modo debet dici collatum Mariæ. Tùm sic: Sed iste modus perfectior, non solùm potest consistere in modo perfectiori visionis, sed etiam in raptu Mariæ secundum corpus, & animam in Cęlum: ergò cum non repugnet, nec vlla ratio obstet, dicendum est piè, B. Virginem aliquoties raptam fuisse corporalitèr in Cęlum Empyreum pro aliquo brevi spatio; quia vt docet Doctor Subtilis in 3. dist. 3. quæst. 1. num. 10. probans origineam Mariæ puritatem, supposito quod Deus potuit: *Si authoritati Ecclesiæ, aut authoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est attribuere Mariæ.*

Ex his probatur vltimo Propositio V. Matr. hac sufficienti ratione: Quicquid non repugnat, & cedit in maiorem honorem, & gloriam Dei Genitricis, ei non denegandum, dummodò aliqua ratio, aut authoritas oppositum non convincat, iuxta illam regulam Illustr. Augustini Antolinez, Primarij Salmanticensis, Archiepiscopique Compostellani, adducti Cert. 6. Propugn. 1. *Si non ostendatur impossibilitas, tribuendum Deiparæ, quicquid decens fuerit, onus probandi indecentiam transmittendum in adversarios.* Quæ regula nititur plurimis SS. Patribus, & Theologis, qui frequentèr ita loquuntur: sed quod B. Deipara

rapta

rapta fuerit secundum corpus,& animam transeuntèr in Cœlum, nec repugnat in se,vt est evidens, nec aliqua ratio convincit, quod non potuerit fieri ante Incarnationem Verbi: ergò Propositio V. Matris piè,& probabilitèr potest sustineri. Probatur minor: Si aliqua ratio convinceret oppositum,foret, vel quia Cœlum ante mortem Christi erat clausum,vel quia alitèr non salvaretur Primatus Christi in introitu Cœli Empyrei,vel quia Virgo,dum esset viatrix, improportionabatur cum ingressu Paradysi Cœlestis:Non primùm; tùm,quia vt constat ex dictis Propugnaculo antecedenti, lex Cœli clausi imposita fuit ratione peccati originalis; sed Beata Virgo excepta fuit à lege peccati originalis:ergò consequens est,quod excepta fuerit à tali lege. Tùm, quia vt constat ex primò notabili,est probabilis opinio, quod si Deipara migraret ex hac vita ante mortem Christi, Cęlum Empyreum fuisset ei apertum: ergò iam de facto est probabilis opinio, quod illa lex Cęli clausi non comprehendit Mariam, vel quod de facto sit dispensabilis respectu illius talis lex.

Non secundùm,quia sicut primatus Christi in resurrectione exponitur per hoc quod fuerit primus,qui resurrexerit ad vitam immortalem,& inamissibilem,vt docent Sancti Patres,præsertim Damascenus in Historia Barlaan,& Iosaphat;ita primatus Christi in ingressu Cęli Empyrei sufficientissimè salvatur, per hoc quod fuerit primus, qui Empyreum ingressus fuerit Cęlum ad mansionem permanentem,& perpetuam. Non tertiùm, quia ex conceptu status viæ magis improportionabatur cum visione intuitiva Dei, quàm cum raptu corporali, & transeunti in Cęlum: sed hoc non obstante,est probabilissima opinio Patrum,& Theologorum,quod B. Virgo in via viderit pluries intuitive Deum;& deinde alitèr non posset dici,quod Adamus, Moyses, & Paulus viatores vidissent intuitivè Deum,quod est contra communiorem sententiam Theologorum, & Sanctorum Patrum: Ergò ex conceptu status viæ raptus corporalis Deiparæ in Cęlum transeuntèr minimè valet improbari. Tùm sic; sed omnes authoritates collimant in aliquod ex tribus capitibus assignatis,& cum nulla,quam viderim, neget in particulari raptum corporalem Mariæ transeuntèr, quælibet sufficientissimè exponitur in hoc sensu, videlicèt, quod nullus ante mortem Christi raptus fuerit, seu ingressus in Cęlum Empyreum ad permanentem,& perpetuam mansionem: ergò raptui transeunti corporali Mariæ, assignato à V. Mater, nulla ratio obstat: ergò potest sustineri piè,& probabilitèr. Et eàdem ratione potest piè, & probabilitèr sustineri,quod rapta fuerit corporalitèr transeuntèr pluries iuxta illud Ruperti citati: *Tu Regina Cœlorum præsæpè Cœlestibus interfuisti.* Et iuxta illud Hieronymi,seu Authoris Epistolæ ad Eliodorum: *Con-*

versabatur (in infantia sua) *cum Senatoribus Cæli intra Curiam Paradysi.*

COROLLARIA.

EX dictis colliges, doctrinam V. Matris esse prorsus immeritò Censurà confixam, & temerariè ab Authore Censuræ evulgatam, vt contrariam Verbo Dei: siquidem, re benè inspecta, loca Scripturæ in Censurà notata doctrinam V. Matris minimè convellere possunt: Unde non istius doctrina falsa, & temeraria, sed falsa, & temeraria ipsamet Censura. Falsa, quia falsissimè asserit, doctrinam V. Matris contrariari illis tribus locis Sacræ Scripturæ. Temeraria, quia damnat opinionem piam, & probabilem de Sanctissima Deipara, & quia detrahit honori Summorum Pontificum, qui revelationes S. Birgittæ approbavère. Siquidem revelatio de puritate Conceptionis Deiparæ, & de eius Assumptione secundum corpus, & animam in Cælum, fortè potiori iure ob aliquas authoritates vniversales, & leges communes, posset in illo tempore respui, quàm modò revelatio præsens facta V. Matri.

Ex his colliges secundò, nomen Universitatis Parisiensis esse ementitum. Quis enim credet, quod Universitas tanta, gloriæ, & honoris Mariæ à suis cunabulis studiosissima, revelationem damnaret ex parte materiæ, quæ piam, & probabilem excellentiam continet de Sanctissima Virgine? Numquid credendum, quod tantam Universitatem lateret doctrinam Vener. Matris, illis tribus locis Scripturæ haud posse convelli? Aut casu, quo ex illis aliqua lex deduceretur vniversalis, ignorasset, quod Beatissima Virgo legibus, non sic opprimitur communibus? cum de ipsa canat Ecclesia illud Esther, cap. 15. in Officio Ordinis Minorum: *Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.*

CERTAMEN XI.

REFERTUR DOCTRINA CENSURÆ subiecta.

NUm. 344. *Conceptio B. Annæ ea puritate, & limpiditate splenduit, quæ decebant eius Filiam, ex qua puritas resultabat in Matrem; & quamvis ob hanc rationem nulla alia purificatione indigeret, ipsa tamen satisfecit debito communi legis, quam exactè adimplevit; & sic Mater ista, quæ erat immunis ab oneribus, quæ lex imponebat quoad purificationem, tanquam immunda in hominum habita fuit oculis.*

CEN-

CENSURA.

¶ *Hæc Propositio falsa est, temeraria, & Verbo Dei contraria.*

PROPUGNACULUM UNICUM.

DEMONSTRATVR, HANC DOCTRINAM VENER. *Matris esse satis consonam Patribus, & Theologis, proptereàque à Censura immunem, præsertim vt assertam ex revelatione.*

EXtat lex in Levitico, c. 12. in hunc modum: *Mulier, si suscepto semine, peperit masculum, immunda erit septem diebus.* Et inferiusculè: *Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus.* Igitur Pijssima Author postquam hanccine retulit legem, protulit: *Quod partus fęlicissimæ Annæ, ea puritate, & limpiditate nituit, qua eius Filiam decebat.* Author Censuræ pro partu Conceptionem apponit. Unde doctrina, quæ damnatur, in hac parte est ementita. Sed in his non immorandum, sicut nec in alijs defectibus, quibus scatere solet relatio, siquidem tàm partus, quàm conceptio puritate, & limpiditate enituit, vt ex dicendis constabit.

Animadvertas tamen velim, aliud esse, quod B. Anna fuerit exempta à lege purificationis, aliud quod fuerit exempta ab oneribus, & rationibus, ob quas imposita extitit purificationis lex. Pijssima Author secundum asseverat, haud verò primum, vt ex eius verbis fidelissimè Latino donatis idiomatè patefiet, etenim ait: *Et quamvis ob hanc causam* (scilicèt, ob limpiditatem partus) *non egebat alia purificatione, hoc non obstante, solvit debitum legi, eam adimplens punctualitèr, habens se in hominum oculis tanquam immundam, Mater, quæ libera erat ab oneribus, quæ lex iubebat purificare.* Unde tota difficultas est, non an B. Anna exempta fuerit à purificationis lege, quia in sententia actumante, quod lex adimpleri debet, etiam si legis cesset ratio, ipsa ad legem teneri poterat, quamvis mundus omninò eius extiterit partus. Igitur difficultas, si quæ sit, cuncta ad examinandum devolvitur, an fęlicissimæ Annæ partus mundus, & purus extiterit? Si enim constet, quod purus extiterit, & mundus, evidentèr constabit ipsam Annam extitisse immunem ab oneribus, quæ lex iubebat purificare.

Enucleemus iàm quàm consentaneum Sanctis Patribus sit, & Theologis, quod partus B. Annæ mundus extiterit, & purus. In hunc scopum attenta mentis lance trutinanda sunt verba illa S. Ildephonsi, serm. de Nativitate Virginis in tom. 9. Bibliot. Veter. Pat. in edit.

Paris.

Parif. mihi pag. 178. *Maria Virgo non sic est nata, sicut solent pueri, vel puellæ nasci.* Et inferius: *Mundo corde, & corpore ab omni pollutione carnali orta est.* Si ergò Maria mundo corpore ab omni pollutione carnali orta est: ergo eius nativitas fuit munda: ergo partus eius B. Matris mundus fuit. In eundem lubet perpendere sensum S. Petrum Chrisologum, serm. 91. vbi de partu B. Annæ pertractans, profert: *Partus non ablatus est, sed dilatus, donec transiret tempus carnis, passio corporis, coniugij necessitas, voluptatis causa, cupiditatis sensus, & totum quod hominem confundit, grauat, onerat conscientiam. Mundabatur longo tempore domus sanctitatis hospitium.* Si ergò longo tempore Anna, domus Mariæ, mundabatur, quid mirum, quod partus eius purus, & mundus evaderet, cum nulla ratio adduci posset, ob quam ista puritas partus Filiam eius non deceat? Et si partus dilatus est, vt Sanctissima Virgo prodiret munda ab omni illo, quod gravat, & onerat in parentibus: ergò & vt prodiret munda ab oneribus, quę lex iubebat purificare; quia ista etiam gravant, & onerant.

Deinde SS. Patres, partum B. Annæ, prædicant miraculis re tum, Nativitatemque Mariæ miraculosam. Unde S. Damascenus Orat. 1. de Nativit. Virg. ait: *Ex Divina gratia mirabilitèr operante fuisse ortam.* Nicephorus inquit: *Tanquam quidam divinitùs datus fructus orta est.* S. Anselm. lib. de Excellentia Virg. c. 2. *Illud conijcio apud me, nativitatem eius, quam quidem ex linea generationis humanæ non nescio descendisse, magna quidem, atque miranda Divinorum signorum indicia prçcurrisse.* His, & alijs verbis similibus, quibus Patres frequentè vtuntur, maiora puritate, & limpiditate partus prodigia innuunt. Quid mirum ergò, quod partus mundus asseveretur, & purus eo modo, quo Filiam futuram Dei Matrem decebat?

Probatur deinde, quod hoc privilegium puritatis partus B. Annæ consentaneum sit Patribus, & Theologis benè multis, quatenus ex eorum sententia communi efficacitèr infertur, quod sic probo: Conceptio activa B. Annæ fuit pura, & munda, iuxta Patres, & Theologos benè multos: ergò eius partus correspondens tali Conceptioni debuit esse purus, & mundus. Consequentia videtur recta, tùm quia quacumque ratione probetur puritas, & limpiditas talis Conceptionis, puritas partus, & limpitudo pariformitèr probabitur. Tùm quia maius, aut saltim non minus beneficium est puritas seminis, ex quo concepta fuit Virgo, & limpitudo coitus eius parentum, quàm privilegium munditiæ, & limpitudinis partus: ergò si primum consentaneum est Patribus, & Theologis, secundum tanquam consequens eis dici debet consentaneum.

Antecedens principale, ad quod devolvitur difficultas, satis liquet

ex Certamine 5.& illustratur amplius, siquidem est expressa sententia S. Ildephonsi, S. Petri Chrisologi, quos iam adduximus, & S. Damasceni citati, qui ait: *O Beatos Ioachimi lumbos, ex quibus immaculatum prorsus semen fluxit!* Favent expressè S. Birgitta lib. 1. c. 9. & lib. 6. c. 25. B. Amadæus, Episcopus Lausensis, rapt. 4. in Biblior. Virg. 1. tom. mihi fol. 678. eius perpendantur verba: *Sed in brevi tempore nobis assistentibus* (alloquitur Angelus Gabriel) *illud mundissimum semen transmissum est in vterum Annæ.* Quid loculentius? Granadus de essent. pecc. & iust. orig. 3. sect. 3. num. 19. Bernardinus Bustius p. 9. serm. 4. assimil. 3. vbi ait: *Deus enim secundum aliquos abstulit rubiginem, ac infectionem omnem à semine, quo debebatur ipsa Virgo concipi, & sic egressum est Vas Purissimum.* Cluniacensis serm. 4. de Concept. Virg. qui ait: *Ideò communitèr hodie, plusquam alio tempore, celebratur eius Conceptio, quando scilicèt facta est seminum commixtio, & purgatio.* Hanc sententiam defensanr pro viribus Ioan. Bapt. Novatus, tom. 1. de Eminentia Deiparæ, cap. 3. q. 2. Noster Guerra, Episcop. Gadicens. tom. 1. discurs. 2. fragment. 3. punct. 2. & 3. Noster Galatinus lib. 1. de Arcan. c. 8. Spinelus lib. 1. de Thron. Deipar. c. 18.

Hi omnes Patres, & Doctores, & plures alij, quos recensere longum esset, defensant Conceptionem Deiparæ prorsus fuisse mundam, & puram absque concupiscentia Parentum, & libidine: Si ergò purus, & mundus conclamatur talis B. Annæ coitus, quomodo partus ipsi correspondens haud debebat esse purus, & mundus? Nunquid vtraque limpitudo B. Annæ Sanctissimam Filiam haud decebat? Nunquid sicut Deus potuit primum, non potuit secundum? Nunquid omnigenarum feminarum partus, qui supponuntur immundi, conceptionem seminis libidine, & concupiscentia infectam non supponunt, & consequentèr immundam? Si ergò Pijssima Author asseverauit in haccine prima Parte, num. 213. Conceptionem seminis mundam extitisse, & ab imperfectione concupiscentiæ, & libidinis abdicatam, quid mirum quod in præsentiarum partum B. Annæ à communibus sordibus propallarit immunem? Et vnde improbari valebit, cum hoc ex propria mente non proferat, sed ex Divina revelatione?

Si Author Censuræ in lege Levitici insistat: Contra est; Primò, quod Pijssima Author nunquam protulit B. Annam fuisse exceptam à purificationis lege, sed à ratione legis, & ab oneribus, quæ lex iubebat purificare, quod non obstante, potuit B. Anna comprehendi in tali lege. Secundò, quia illa lex: *Si autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus*, videtúr posse intelligi de femina conceptà cúm libidine, & concupiscentia seminis. Si autem ita posset intelligi talis lex, munditiei partus B. Annæ minimè obstaret iuxta senten-

tiam

tiam supra relatam de munditia, & puritate Conceptionis seminis. Tertiò, quia etiam si partus B. Annæ fuerit mundus, extiteritque expers immunditiæ, & sordium, quibus aliarum mulierum partus solent scatere, potuit tali lege adstringi, & ad eius impletionem teneri iuxta ritum commune fluxus menstrui. Ad modum quo data hypotesi; quod partus alicuius fœminæ ob aliquam dispositionem naturalem extitisset expers sordium, regularitèr communium, tamen foret subiectus purificationis legi.

Probatur iam tertiò, iuxta supradicta limpitudo, & puritas partus B. Annæ; iuxta S. Ildephonsum serm. de part. Virg. *Dolor partus est consequentia libidinis conceptionis seminis.* Ait enim: *Tunc enim sequeretur dolor partum, si sequeretur libido conceptum.* Ergò potiori iure immunditia, & collubio partus debet esse consequens immunditiæ, hoc est, concupiscentiæ, & libidinis Conceptionis. Si ergò Conceptio activa B. Annæ fuit pura, & munda, vtpotè absque concupiscentia, & libidine, quid magis consentaneum rationi, quàm quod eius partus limpidus extiterit, & mundus absque collubione, & sordibus communibus? Roboratur vrgentèr hæc probatio: Sicut est lex in Levitico, quod *Si mulier peperit fœminam, immunda erit duabus hebdomadibus.* Ita est lex in Genesi: *In dolore paries filios.* Sed partus B. Annæ exceptus fuit ab hac lege iuxta probabilem opinionem, quam tradidit Ioannes Baptista Novatus de Natal. Deip. cap. 4. q. 3. Stephanus Mendez, celebris Theologus ex Familia Dominicana, quem citat, & sectatur noster Guerra, Episc. Gadicens. 1. tom. disc. 4. fragm. 7. punct. 1. ergò pariformitèr potest dici probabilitèr, quod partus B. Annæ limpidus, & mundus extiterit. Consequentia tenet, nàm quæcumque ratio affectatur ad firmandum primum, paritèr & eodem modo firmabit secundum.

Nec obstat, si dicas legem proferre, quod *Si peperit, suscepto semine, immunda erit*, sub qua lege necessariò comprehendi videtur B. Anna: siquidem suscepto semine peperit. Non obstat, inquam: Primò, quia illa particula, *suscepto semine*, apposita est in partu masculi; ait enim lex: *Si suscepto semine, peperit masculum.* Non autem in partu fœminæ, quia ibi dicit lex: *Sin autem peperit fœminam.* Unde dici potest, quod illa particula, *suscepto semine*, forsan non absque singulari providentia in partu fœminæ haud est apposita. Vt melius posset explicari de partu, quem præcedit conceptio infecta concupiscentia, & libidine, vel peccato originali infecta: ad modum quo, servatis servandis, in partu masculi, illa particula, *si suscepto semine*, singulari mysterio, & providentia Spiritus Sanct. fuit apposita, vt perspicuè constaret Sanctissimam Virginem comprehensam haud fuisse purifi-

ca-

nis legê ob partum Saluatoris, vt docet Suarez 2. tom. in 3. p. 16. sect. 2. Secundò, quia ab illa sententia immunditiæ, quatenus attinere posśit ad sordes, & collubionem partus, poteſt quam optimè excipi B. Anna, ſicut ab illa *in dolore parturies filios*, de qua Baptiſta Nouatus auſcultetur, iam adductus: *In ea ſententia Geneſis* (inquit) *videtur Deus loquutus fuiſſe de mulieribus parturientibus prolem conceptam ob inobedientiam Protoparentum in peccato originali.* Ergò illa ſententia Levitici poteſt pariformitèr intelligi de mulieribus parturientibus prolem in peccato originali conceptam: Sed Conceptio B. Mariæ fuit exempta à lege peccati originalis: ergò partus B. Annæ, tali correſpondens Conceptioni, conſequentèr debet exiſtimari immunis ab illa ſententia immunditiei parturientium. Si enim illa Conceptio ſeminis exempta fuit à ſententia traductionis peccati originalis, omninò rationi conſentaneum videtur, vt partus correſpondens, immunis extiterit à ſententia immunditiei.

Hinc quartò probatur partus B. Annæ limpitudo: Menſtruum, dolor, & immunditiesin partus in natiuitate cuiuſcumque proueniunt ex originea Protoparentum labe, vt Galatinus docet noſter, & eſt plauſibilis ſententia Theologorum, cum Alberto Magno in 2. diſt. 20. & tract. 13. ſumm. quæſt. 78. & cum D. Chriſoſtomo, homil. 11. ad populum, qui haſce ęrumnas, & ſordes naturæ ſtatui integræ denegant: ſed B. Virgo fuit donata à ſua Conceptione dono iuſtitiæ originalis, & naturæ integræ, quoad omnia, quæ decebant ipſam, vt tenet ſatis plauſibilis opinio, quam tradunt Doctiſsimus Gerſon, Doctor Pariſienſis, tract. 4. in Magnificat. Ludouicus de Molina 1. p. diſp. 26. ex quibus latè hanc ſententiam dilucidat noſter Guerra, Epiſcop. Gadicenſ. 2. tom. lib. 3. diſc. vlt. fragm. vnic. Caſalius lib. 1. Arb. Vit. c. 1. Salmeron in epiſt. 1. ad Rom. diſp. 50. vbi ſic ait: *Quid magnum eſt tribuere Mariæ, quod quilibet ſuo iure habuiſſet, ſi Adam non peccaſſet?* Caniſius lib. 1. de Deipara, cap. 13. colum. 141. & lib. 4. cap. 19. vbi contra Centuriatores ſic profert: *Si communes illos naturæ defectus intelligunt, quos noſtra cauſa, etiam cum Mariæ carne Chriſtus aſſumpſit, non repugnamus Mariæ infuiſſe, non vtique alios.* Quid loculentius, cum Natiuitas Chriſti fuerit omninò munda? Nec ſilentio involvendus Doctiſ. Salmeron tom. 11. tract. 38. vbi profert de Maria: *Etſi quoſdam peccati originalis effectus vnàcum Ieſu Chriſto communes ſuſtinuit; vt famem, ſitim, laborem, dolorem, triſtitiam, & mortem, non tamen difformes alios.* Ergò ſicut Chriſtus Dominus noſter, proportione debita ſervata, natus fuit ex partu mundiſsimo, & puriſsimo, dici poteſt, quod eius Sanctiſsima Mater nata ſit ex partu mundo, & puro: ſiquidem vt Patres communitèr propallant, fuit ſimillima Chriſto.

Si autem quæras, quæ regula servanda sit in effectibus iuf originalis tribuendis Deiparæ? Respondeo, illam fore, quam Illustr. Dominus Augustinus Antolinez, Primarius Salmanticei Archiepiscopusque Compostellanus, quem citat, & sectatur ex calculo vniversali piorum Deiparæ cultorum noster Illustr. Guerra, citatus suprà, videlicèt: *Si non ostendatur impossibilitas, tribuendum Deiparæ, quidquid decens fuerit.* Ex quibus sic doctrina suadetur V. Matris: si partus B. Annæ communibus foret sordibus scatens, & immundus, nativitas B. Mariæ ex hac parte impura diceretur, & immunda; sed quælibet immundities, & impuritas dedecet Matrem Dei: ergò partus B. Annę profitendus purus, & mundus.

Probatur quintò, Deus, vt docuit V. Mater num. 186. ante quam anima B. Virginis ipsius infunderetur corpori, totum B. Annæ purificavit, & mundavit corpus. Quod consonat B. Amadæo, Episc. Lausensi, rapt. 4. suprà citato, vbi ita faxit Angelus Gabriel: *Mundissimum semen transmissum est in vterum B. Annę, & disposita, & omninò mundata cellula illa* (illa trutina verba: *Omninò mundata*) *& sanguine ipsius Annæ perfectiori, & puriori, ministerio nostro, segregato, purificato, & in ipsa cellula reposito.* Cui sententiæ satis favent Benetus in tractatu de Conceptione. Robertus Holcoth. in cap. 13. lib. Sap. lect. 160. & plurimi alij, quos citat, & sectatur noster Guerra, Episc. Gadicens. 1. tom. lib. 1. discurs. 2. fragm. 13. punct. 2. & sequentibus, quatenus asserunt, quod *Deus purgavit, & purificavit corpus, seu carnem B. Virginis, antequàm illi infunderet animam.* Authores hi, qui benè multi sunt, favent, inquam, sententiæ supra relatæ, quia si Deus mundavit, purificavit, & purgavit corpus B. Virginis, antequàm ei anima infunderetur, neutiquam apparet à ratione dissonum, quod tunc etiam corpus B. Annæ, in quo erat Virginis corpusculum, mundasset, purgasset, & purificasset cum hæc limpitudo ipsum corpusculum Virginis deceat, & vt ait Canisius, lib. 1. de B. Virg. cap. 7. dicendum sit: *Materiam inanimem nondum animatæ Deiparæ suprà omnia corporea à Deo dilectam fuisse.* His suppositis, consequentèr docuit V. Mater, quod partus B. Annæ fuerit ita mundus, & purus, vt ob hanc causam indiga purificationis non foret, vtpotè anteà mundata, & purificata ab omnibus illis, ex quibus immunditities partus oritur. Nec mirum hæc cine Deum operasse, vtpotè cedentia in maiorem puritatem, & limpitudinem corporis Virginei, siquidem vt fatentur Augustinus, serm. de Assumpt. & Arnoldus Carnotensis, lib. de Laudibus Virginis: *Vna est Mariæ & Christi caro.*

Ex omnibus dictis liquet, non dissonare à Patribus, & Theologis, nec vacare rationibus præsens doctrina Pijssimæ Authoris de purita-

tc,

te,& limpitudine partus B. Annæ. Unde manet immunis à Censura, nec amplius fuit ipsa conata;ipsa enim B. Annam ab obligatione purificationis legis non propalavit immunem, imo sub tali lege comprehensam,vt ex illis verbis constat, *solvit debitum legi.* Si autem à lege purificationis B. Anna foret immunis, non posset dicere V. Mater,quod solvit debitum legi,sed potius id,quod in tali casu non erat debitum legi. Nec obstat, quod ratio legis purificationis fuerit immunditia corporalis parturientium ex fluxu sanguinis, vt docent Sacri Interpretes cum Abulensi, Levit.12. q.2. & Iansenio, cap.10. concord. & cessante ratione legis,cessat lex:non,inquam,obstat, nam vt docet Suarez,tom.2. in 3.p. disp.16. sect.2. *Cessante fine legis in particulari,non cessat obligatio legis. Solent enim leges, vt antea dixerat, obligare, etiam si ratio earum in particulari cesset.* Ergò licet partus B. Annæ expers fuerit sordium communium, & cuiuscumque immunditiei, ipsa potuit quamoptimè purificationis lege adstringi. Unde animadvertendum valde,quod illa lex Levitici, *Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus*, non intelligitur ita vt debeat habere immunditiam partus,sed ita vt in oculis hominum deberet haberi pro immunda illis duabus hebdomadibus, vt explicuit V. Mater,& omnes exponunt;nam partus immunditiës,& fluxus sanguinis non est obiectum talis legis, sed ratio, quæ supponebatur ad legem,& ob quam imposita fuit talis lex. Ex quibus liquet, quod omnia,quæ docet V. Mater,minimè contrariantur Verbo Dei, imo sunt omninò conformia illis verbis Levitici,quia non obstante limpitudine,& puritate partus,relinquit B. Annam habitam vt immundam in oculis hominum,& comprehensam sub lege purificationis, iuxta illa verba,*Solvit debitum legi.*

Tandem,vt qualitas magis dignoscatur Censuræ, gratis admittamus,V. Matrem Beatam prædicasse Annam à lege purificationis immunem;nunquid propterea damnanda, cum hoc asseveret ex sibi facta revelatione?Nunquid vt docent Theologi ex D. Thoma 2.2. q. 101. art.5. & ex Doct. Subtili in 3.dist.35. & alijs in locis: *Qui ponit legem ipsam,haud rescindere non potest? Sanè vt ait Augustinus*, lib. de Regimin. Princ. *Princeps potest à lege sua subditos suos liberare, & circa ipsam legem dispensare,& eam annibilare.* Legas nostrum Bernardinum Bustium in Marial. p.1. serm.1.de Concept. part.3. adinveniesque innumeras Sacr. Scripturæ leges communes, & vniversales,necnon municipales,& particulares,tàm naturales, quàm humanas,& Divinas, dispensatione recissas à Deo O. M. Quid ergò obstat,quod B. Anna ex speciali gratia Dei legislatoris immunis extiterit à tali lege? Nunquid haccine immunitate tota lex ruet? Si autem

hæc immunitas à Deo concedi potuit, cur se hoc fecisse, haud potuit Deus revelare? Lex erat, *omnes in Adam peccaverunt*, hac non obstante lege, revelationes S. Birgittæ, & aliorum circa puritatem Virginis origineam, non statim repulsæ fuere, ac damnatæ. Si ergò exceptio B. Annæ à tali lege potest sub revelatione cadere, non statim ex parte materiæ respuenda? Vnius enim privilegium legem non infirmat, sed firmat; sed ex parte formæ examinandum, an Authoris vita sit talibus cataphracta prodigijs, & virtutibus, vt eius dictis non deneganda fides?

COROLLARIA.

EX dictis colliges, quàm detestanda sit Censura. Primò, quia præsentem revelationem V. Matris absolutè profert contrariam Verbo Dei, cum nihil includatur in ipsa, quod Sacr. Scripturæ, vel leviter, aut apparentèr, eius verbis attentis, opponatur. Secundò, quia damnat opinionem piam, quæ in Deiparæ honorem cedit, & quæ sufficientissimè ex Theologis, & Patribus deducitur. Tertiò, quia asserens hanc doctrinam, vt contrariam Verbo Dei, rationem dissimulat, vt ratione occultà, eius exiles vires clarè non prospiciantur; aut quia nulla ratione exhibita, plurimis existimetur Verbo Dei contraria.

Colliges secundò, nomen Universitatis Parisiensis non posse non esse ementitum; nàm cum limpitudo, & puritas partus B. Annæ in Sanctissimæ cedat Deiparæ honorem, & dumtaxat à Pijssima Authore propaletur purus, provt natam Virginem decebat; quis credet Universitatem maioris puritatis Mariæ antesignanam, hoc Mariæ decus damnatum ire? Et cum lex purificationis cadat supra Parentem, & nascentem, casu quo Pijssima Author. partum B. Annæ à tali lege prædicasset immunem, quis credet quod tantum Lycæum hanccine immunitatem respuisset? Nunquid lateret ipsum, quod si Deus fecit, potuit revelare, aut quod Deus hanc immunitatem efficere potuit, præsertim cum in honorem Mariæ cedat, de qua Ecclesia psallit;

Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est?

CER-

CERTAMEN XII.

REFERTVR DOCTRINA CENSVRÆ *subiecta in duodecimo Articulo.*

NUm. 402. *Vt esset omnibus modis Mater misericordiæ, & mediatrix gratiæ, quin perderet aliquod momentum, aliquam operationem, nec occasionem aliquam merendi illam sibi ipsi, & etiam nobis.*

CENSURA.

Licèt Sanctissima Virgo præ omnibus Sanctis mediatrix sit per intercessionem: hæc tamen Propositio, quatenus asserit illam esse omnibus modis mediatricem, falsa est, erronea, & Christo, qui solus Redemptor, ac Salvator noster est, & vnus per Redemptionem mediator, iniuriosa.

PROPUGNACULUM UNICUM.

DEMONSTRATVR PROPOSITIONEM, QVÆ damnatur, esse ementitam, & quod licèt ementita non foret, doctrina Vener. Matris extaret immunis à Censura.

CEnsuræ qualitas ex hoc maximè articulo capesenda. Primò, quia Censuræ Author, vt Pijssimam Authorem detruderet, doctrinam est ementitus. Secundò, quia vt illam, adhuc vt ementitam, afficiat Censurà, eius extorquere sensum necesse. Igitur vt doctrina Pijssimę Authoris fluat immunis, sat est eius verba in publicum prodire; non enim in scriptis V. Matris legitur illa particula, *omnibus modis*; sed vox Hispanice, *en todo*; Latinè, *in toto*, *vel omninò*. Eius textum integrum producamus: Agit de Virgine in tenerrima ætate, in qua iam se exercebat, afficiebatque castigationibus pro mortalium noxijs; vnde de ipsa ita Pijssima effatur Author: *Et quamquam dolor internus pro peccatis, quæ agnoscebat, & vis amoris, quo afficiebatur, in Divina operabantur infantula effectus intensissimi doloris, & pœna, statim vt vsa est viribus corporeis, in illa ætate adeò tenera eas pœnitentiæ, & mortificationi submisit, vt in toto esset Mater misericordiæ, & gratiæ mediatrix; quin punctum, tempus, aut operationem prætermitteret, qua gratiam sibi, nobisque promereri posset.*

Ex ijs Pijssima Author à Censura prorsus nitescit immunis; siquidem

dem tota Censura nititur in illis verbis, *vt omnibus modis esset mediatrix*. Restat explicanda illa particula *in toto*, vt amplius liqueat, quam consentanea sit loquutio Pijssimæ Authoris Theologis, & Patribus. Igitur sensus talis particulæ manifestè ex ipso textu constat: *Vt esset in toto Mater misericordiæ, & mediatrix gratiæ*, (hoc est) *vt non prætermitteret punctum, tempus, aut operationem, qua gratiam sibi, nobisque promereri posset*. Hæc autem doctrina sententia plausibilis est Patrum, & Theologorum: siquidem, quod Sanct. Virgo toto tempore vitæ singulis actibus, & momentis, imò & continuè meruerit, docent S. Antoninus 4.p. art. 5. cap. 20. §. 6. S. Bernardinus Senensis, serm. 51. art. 1. Albertus Magnus de B. Virg. cap. 116. 117. 119. Gerson, Cancellarius Parisiensis, tract. 4. super Magnif. Bernardinus de Bustos 4. p. serm. 9. §. vlt. & pro dignitate Eximius Doctor Suarez, tom. 2. in 3. p. disp. 18. sect. 2. qui adducit pro hac sententia Augustinum, Ambrosium, Rupertum, Cartusianum, quibus adde Canisium, lib. 1. cap. 13. Deinde illa particula *in toto* Mater misericordiæ, & mediatrix gratiæ consonat omninò SS. Patribus frequentissimè asserentibus, quod nullum beneficium, gratia nulla, nullusque favor in nos proficiscatur, quin veniat per Mariam. Circa quod innumeros possem attexere Patres: luculentiora testimonia producam. Iam sese offert Germanus Constantinopolitanus encomio in adorationem venerandæ zonæ Deiparæ: *Quomodo enim corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem, ita etiam Sanctissimum tuum nomen, quod in ore servorum tuorum versatur assiduè, in omni tempore, loco, & modo, vitæ, lætitiæ, & auxilij non solùm est signum, sed ea etiam procurat, & conciliat*. S. Bernardus, serm. de Nativit. Virg. *Hæc est voluntas Dei, quæ totum nos habere voluit per Mariam, vt proindè si quid spei, si quid gratiæ in nobis est, ab ea noverimus redundare. Ideò plena gratiâ dicitur, vt ex plenitudine illius accipiant vniversi*. Quid luculentius, vt dici queat mediatrix in toto, seu in cunctis? Ricardus de Sancto Victore, cap. 26. in Cantic. *Ad omnes denique homines charitas eius dilata fuit; pro his, solicita fuit; pro his, indesinentèr oravit; pro his, orando exaudita est, omnium salutem desideravit, quæsiuit, & obtinuit, imò & salus omnium per ipsam facta est*.

S. Ignatius Martyr in Epist. ad Ioan. in Biblior. Vet. Patr. 1. tom. saxit de Virgine: *Nostræ novæ Religionis, & pœnitentiæ est Magistra, & apud Fideles omnium operum pietatis Ministra*. S. Ildephonsus in corona ex duodecim lapid. cap. 11. extat in Biblior. Virg. tom. 2. mihi fol. 371. *Tu* (alloquitur Mariam) *pacem mundo impetrasti, diabolum superasti, & vicisti, humanum genus reparasti, & omnia bona in Cælo, & in terra, te mediante, sunt patrata*. S. Anselmus in opusc. de B. Mar. in

Bibliot. Virg. tom.2. mihi fol.418. O *Aula vniversalis propitiationis, causa generalis reconciliationis, Vas & Templum vitæ, & salutis vniversorum!* S. Laurentius Iustin. serm. de Annunt. *Magna profectò fuit Mariæ gratia exuberans, atque completa, quæ Cœlis dedit gloriam, terris prebuit Deum, gaudium præstitit Angelis, sæculoque pacem refudit, Fidem docuit gentes, vitijsque finem imposuit, humanæ vitæ instituit ordinem, atque spiritualem edidit moribus disciplinam.* Et inferiusculè concludit, asserens quod Virgo est: *Paradysi Scala, Cœli Ianua, interventrix mundi, dæmonum fuga, peccatorum spes, Dei & hominum verissima mediatrix.* Quid ergò mirum, quod à V. Matre nuncupetur in toto, seu omninò, seu in omnibus Mater misericordiæ, & mediatrix gratiæ?

Adhuc aptius ad rem loquuti videntur, Damianus, serm. de Annun. *Per ipsam,* ait, *cum ipsa, & in ipsa totum hoc faciendum decernitur, vt sicut sine ipso nihil factum est, ita sine illa nihil receptum sit.* S. Germanus, serm. Assumpt. *O Maria,* inquit, *omnia observas, omnia intueris, & intercessio tua ad omnia se porrigit!* Et oratione de zona, & fasce Deip. *Nemo est, cui donum concedatur, nisi per te: nemo est cui misereatur gratia, nisi per te.* D. Bern. Senens. serm. de Exalt. Virg. art. 2. cap. 8. profert: *Quod nulla creatura aliquam à Deo obtinuit gratiam, vel virtutem, nisi secundum ipsius Matris dispensationem.* Quo sensu, frequentissimè à Patribus, & Interpretibus Sacris dicitur Deipara Corporis Ecclesiæ collum, quia omnia nutrimenta virtutum, donorum, & gratiarum, quæ in membra huius Corporis Mystici fluunt, mediante Maria, veniunt.

Ex his manifestè liquet, quàm consentanea extet loquutio V. Matris Sanctis Patribus, sive illa particula, *vt esset in toto Mater misericordiæ, & mediatrix gratię*, enodetur per hoc, quod nullum momentum, aut operationem nullam prætermitteret, in quibus nobis promereri posset gratiam: sive enucleetur per hoc, quod in omnibus gratijs, & beneficijs sit mediatrix per intercessionem; & consequentèr in toto, seu omninò Mater misericordiæ, & in toto, seu pro omnibus mediatrix gratiæ per intercessionem.

Iam modò in trutinam revocare lubet illa verba, quibus Censor nititur, vt esset, *omnibus modis,* Mater misericordiæ, & mediatrix gratiæ. Fateor me calere haud posse, quomodo Censura non foret prorsus iniusta, & ex mera libidine damnandi procedens, etsi illa particula, *omnibus modis,* in textu sederet V. Matris. Ratio est, quia ex verbis antecedentibus, & sequentibus non posset non nitescere eius sensus Catholicus, & immunis. Nàm causa, ob quam profert Pijssima Author illa verba: *Vt esset in toto Mater misericordiæ, & mediatrix gratiæ,* est quia Deipara in illa ætate adeò tenera primævas sui corporis vires pro hominum peccatis pœnitentiæ, & mortificationi subiecit, & pro-

se-

sequitur: *Vt esset in toto* (dicatur omnibus modis) *Mater misericordiæ, & mediatrix gratiæ.* Quin punctum, *Tempus, aut operationem prætermitteret, qua gratiam sibi, nobisque promereri posset.* Ex his evidentèr liquet, quod particula, *omnibus modis*, intelligenda esset, ita vt nullum momentum, aut operationem prætermisisset, qua nobis gratiam promereri posset; siquidem ideò diceret Author, vt esset omnibus modis Mater gratiæ, quia dicit, quod Virgo statim ac vsa fuit viribus corporalibus, eas castigationi pro hominum peccatis subiecit; & quod nullum instans prætermisit merendi nobis gratiam.

Secundò, quia ly *omnibus modis*, sicut intelligitur à Censore per intercessionem, & per redemptionem, multo melius poterat intelligi omnibus modis, non superantibus dignitatem Maternitatis; sed ita intellecta illa particula, nullo modo esset configenda Censura, vt ex ipsa Censura constare necesse est; siquidem mediare per redemptionem soli Christo convenire fatetur, & consequentèr superare dignitatem Maternitatis: ergò. Tertiò, quia Deipara pluribus modis valet dici gratiæ mediatrix, seu causa nostræ salutis, vt Eximius docet Doctor, tom. 2. in 3. p. disp. 23. §. *Dico secundò.* Primò, *merendo de congruo nobis Incarnationem.* Secundò, *orando, & petendo, & quandiu fuit in via de congruo merendo nobis salutem.* Tertiò, *concipiendo Christum nostræ salutis Authorem Reparatorem, & Redemptorem.* His adde quartam: quatenus in Cœlis interpellat, & intercedit pro nobis, & eius interveniente intercessione, nobis propinantur auxilia gratiæ. Modò inquiro, cur illa particula, *omnibus modis*, non poterat, & debebat intelligi de modis his Mariæ convenientibus? Sanè si in ordine Mariæ titulus mediatricis potest explicari pluribus modis, de omnibus his, & non de alijs superantibus Maternitatis Dei hierarchiam, intelligenda esset ex iure Pijssima Author.

Quartò, quia sic extortè intelligendo illam particulam, *omnibus modis*, Patres, & Interpretes, vt erronei passim possent detrudi in valde plurimis loquutionibus. Vt ad præsentem rem spectat, petatur exemplum à S. Germano Constantinopolitano, suprà citato in oratione de adoratione venerandæ zonæ Deiparæ, vbi ait: *Quod nomen Mariæ omni modo nos conciliat.* Si intelligatur de omni modo, id est, per intercessionem, & redemptionem, subijciendus foret Censuræ ad modum quo V. Mater. Lubet etiam in publicum producere Doctissimum Hayè, qui suam Arborem Vitæ Paryssijs Typis mandavit. Tantus ergò Interpres 1. tom. Arb. Vit. mihi fol. 314. hanccine edit absolutè Propositionem: *Virgo Maria omnibus modis devicit diabolum.* Quis, rogo, propterea damnaret ipsum, quasi senserit, quod Virgo diabolum devicerit per redemptionem, quæ soli Christo competit?

Quin

Quintò,& vltimò: Casu, quo, supposita illa particula, *omnibus modis*, sensus esset obscurus, non statim Pijssima Author damnanda, nec in pravum sensum Censuræ extorquenda; sed eius mens accuratè, piè, & prudentèr ex alijs contextibus venanda. Ex quibus evidentèr constaret, quod sensus V. Matris haud posset esse sensus intentus à Censore; nàm in 2. p. vbi passim instituitur sermo de Christo Redemptore; nunquam V. Mater appellat Mariam Redemptricem, sed dumtaxat profert, quod cooperata est saluti nostræ, & quod Christus est Redemptor, & Salvator Mundi, qui nos salvavit, & redemit. Vt liquet ex num. 579. 607. 1143. 1151. vbi *Christus dicitur Filius, Sponsus, & Redemptor Mariæ*, num. 1397. 1398. 1402. 1463. 1397. 1396. in fine, quos, & alios innumeros, numeros totius operis quisquis decurrat, non poterit non fateri, Pijssimam Authorem de redemptione, & salvatione mundi per Christum omninò Catholicè, rectèque scripsisse, imò ad miraculum. Quod autem Deipara operata, seu cooperata fuerit ad nostram salutem, est sensus genuinus, in quo Suarez 2. tom. in 3. p. disp. 23. sect. 1. exponit tribus modis ingentem Sanctorum Patrum multiplicitatem, quatenus asseverant Dei Genitricem nostræ extitisse salutis causam.

Tandem pro maiori Deiparæ honore, & pro qualitate Censuræ amplius dignoscenda, attenta mentis lance trutinare arridet, an titulus Reparatricis, Restauratricis, & Redemptricis prorsus à Deipara relegandus. Non me præterit, quod Doctissimus Cornelius in 1. Epist. ad Hebr. cap. 2. v. 5. asserit: *Quod Christus est vnus Mediator*, id est, *Redemptor, & quod in hoc sensu solus Christus est Mediator*. Ast Mariæ pro titulo Restauratricis, Reparatricis, & Redemptricis, haud levia nitescunt Sanctorum Patrum testimonia. S. Ephren, orat. ad Virginem, ait: *Tu captivorum redemptio, & omnium salus.* Arnoldus Carnotensis, tract. de Laud. Mar. *Dividunt*, inquit, *coram Patre inter se Maria, & Filius pietatis officium, & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium.* Innocentius III. serm. 2. de Assumpt. *Quod damnavit Eva, salvavit Maria.* Augustinus, serm. 17. de Nativit. *Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria.* Hieronymus, Epist. 22. ad Eusthochium: *Mors per Evam, vita per Mariam.* Chrisostomus, serm. de Gen. & interdict. arb. ad Adam: *Restauratur per Mariam, quod per Evam perierat.* Bernardus, serm. 3. de Visit. *Congruum erat, vt adesset nostræ reparationi sexus vterque.* Ibidem: *Per vnum nihilominus virum, & mulierem vnam* (Mariam) *omnia restaurantur.* Et serm. 98. *Per te, Virgo Sancta, Cœlum repletum est, Infernus evacuatus est, & ruinæ cælestis Ierusalem restauratæ.* Ex quibus, & ex alijs Doctissimus Alexius à Salo in arte piè colendi Deiparam, privileg. 4. in Biblior. Virgin. mihi

fol. 188. hæccine profert: *Ecclesia, & communis Sanctorum opinio Virgini adscribit certa epythecta honorifica, quæ indicent eam curam ad Deiparam pertinere, & quibus non potest non vehementèr animus noster recreari, vocat eam Matrem peccatorum, Matrem misericordiæ, spem nostram communem omnium, atque asylum, mortalium advocatam, necnon Redemptricem, pacificatricem, & inter Deum, hominesque sequestrem, seu mediatricem.*

Ex ijs auctumare liceat epytecta Reparatricis, Restauratricis, & consequentèr Redemptricis prudentèr, & rectè intellecta, haud forè à Deipara absolutè releganda. Nàm possunt intelligi in hoc sensu, videlicèt, quod Sanctissima Virgo suo modo cooperata fuerit ad nostram reparationem, restaurationem, & redemptionem iuxta triplicem modum enucleatum à Suarez suprà citato, videlicèt merendo de congruo Incarnationem. Deindè orando, & petendo, & quandiu fuit in via, de congruo merendo nobis salutem. Tandem concipiendo Christum nostræ reparationis, restaurationis, & redemptionis Authorem. Et in hoc sensu, quia causa causæ dicitur causa causati, quid vetat, quod Virgo dicatur causa nostræ salutis, vt passim Patres loquuntur, & idem est ac dicere, quod sit causa nostræ reparationis, restaurationis, & redemptionis? Et in hoc sensu, cur non poterit dici reparatrix, restauratrix, & redemptrix?

Roboratur hæc doctrina, quia 1. ad Timotheum 2. v. 5. dicitur: *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus.* Et licèt, vt asserit Suarez 1. tom. in 3. p. q. 26. quod iterat tom. 2. loco iam laudato: *Esse mediatorem Dei, & hominum propriè, & perfectè solius sit Christi*, tamen Sancti Patres frequentissimè, vt videre est apud Salazarium de Conceptione, cap. 22. vocitant Mariam mediatricem inter Deum, & homines: ergò licèt vnus sit Redemptor propriè, perfectè, & in rigore loquendo, poterit tamen dici Maria reparatrix, restauratrix, & redemptrix, in sensu lato, iuxta modos iam explicitos, in quo sensu effantur, & intelligendi sunt, S. Ildefonsus suprà relatus, qui Mariam alloquens, ait: *Mundum reparasti.* S. Fulgentius: *Reparatrix generis humani.* Andræas Cretensis, oration. 2. de Assumpt. *Reparatrix sæculi.* S. Ephren, in Laudibus B. Virg. *Restauratio Adami.* S. Bernardus, Epist. 174. *Reparatrix sæculorum.* Et S. Birgitta, in cuius lib. 1. cap. 35. inducitur Maria ita proferens: *Filius meus, & ego redemimus mundum.*

CO-

COROLLARIA.

EX his luce meridiana cluentior doctrinæ immunitas manet V. Matris: qua inspecta, nec locus restat ambigendi hanccine Censuram spretum iri, haud dumtaxat, quia Censor doctrinam est ementitus, vt celeberrimæ opinioni Authoris Pijssimæ detraheret; sed etiam, quia nec ipsa doctrina, adhuc vt ementita, configi posset, nisi torvis, & omninò venenatis oculis textus lectitaretur V. Matris, à quo verba antecedentia sunt avulsa, vt sensus illius omnimodè clarus, & conspicuus non resultaret. Deindè Censor valdè assimilatus est hæreticis, non solùm quatenus laudibus insidiantur Mariæ, sed quia, vt refert Suarez, tom. 2. supra laudato, sect. 1. statim post initium: ex eo quod Catholici nuncupamus *Mariam, Matrem gratiæ, & misericordiæ, reparatricem sæculi, & mediatricem generis humani*; haud dumtaxat murmurillant, sed dentibus frendent. Addunt etiam, inquit Suarez, *nos dicere Virginem, non tantùm orare Christum, sed ei imperare*. Sic Censor noster: sic, ex eò quod V. Mater nuncupet Mariam Matrem misericordiæ, & mediatricem gratiæ, haud dumtaxat murmurillavit, sed dentibus infrenduit, & ex proprio nutu ipsam appellasse Mariam mediatricem per Redemptionem superaddidit.

Colliges ergò nomen Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis apud sanæ quemlibet mentis necessum fore, vt existimetur suppositium. Haud dumtaxat, quia ex peractis meridiana luce hoc apparet nitidius; sed quia, quamvis Pijssima Author expressis protulisset verbis, quod in aliquo sensu Sanctissima Virgo redemisset mundum, non propterea statim à tanta Universitate damnanda, in modo examinandi revelationes non imperita. Numquid tot, tantosque Doctores, absolutè lateret revelatio S. Birgittæ, lib. 1. revel. cap. 35. approbatione tot Episcoporum, tot Cardinalium, tot Summorum Pontificum insignita? Si ergò haud credendum, quod talis revelatio ipsos lateret; minimè existimandum, quod adhuc in hypothesi data revelatio Abbatissæ de Agreda, foret configenda; nàm revelatio S. Birgittæ ita se gerit: *Dolor Christi* (loquitur Maria) *erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum: sicut enim Adam, & Eva vendiderunt mundum pro vno pomo, sic Filius meus, & ego redemimus mundum, quasi vno corde.*

CERTAMEN XIII.

REFERTVR DOCTRINA CENSVRÆ subiecta in Articulo 13.

NUm. 300. *Si mortales oculos satis perspicaces haberent ad intuendos splendores Mariæ purissimæ, ipsimet faterentur illam solam sufficere ad illuminandos omnes homines venientes in mundum, eosque conducendos per vias tutas æternitatis beatæ: & quia omnes, qui pervenerunt ad cognitionem Dei, ambulaverunt in lumine huius Sanctæ Civitatis, Dicit Ioannes: Ambulabunt gentes in lumine eius.*

CENSURA.

H*Æc Propositio, quæ Sanctissimæ Deiparæ tribuit; quod soli Verbo competit, falsa est, scandalosa, & erronea.*

PROPUGNACULUM UNICUM.

DEMONSTRATVR, OMNES HAS PROPOSITIONES Vener. Matris, præsertim vt in eius iaceret textu, esse expressas Sanctorum Patrum, propterèaque à Censurà immunes.

MUltiplicem textus includit Propositionem relatus: Censura verò configit vnam; quæ sit, non exprimitur, ex industria forsan, vt quælibet, præsertim ab imperitis, confixa censeatur. Sed quæcumque facilè vindicatur à Censura, si suprà relatus textus, cum textu V. Matris conferatur. Relatio enim doctrinæ, haud in paucis levitèr peccat, vnum dissimulare nequeo, in quo peccat gravitèr. Nam vbi apposita est illa vox, *splendores*, seu lumina; Hispanicè, *luzes*, taciturnitati (forsan ex industria) commissum est, pro nomen demonstrativum, *hosce*, splendores; vel *haccine*, lumina; Hispanice, *estas luzes*: quo non ablato, statim periclitaretur, vt modò periclitatur tota ementita machina Censuræ; nàm statim occurrit examinandum, quale lumen sit illud, de quo dicit Pijssima Author hosce splendores, seu hoccine lumen; & statim apparet esse lumen Mariæ, de quo alloquuta fuit Pijssima Author in verbis antecedentibus, quæ talia sunt: *Si Christus dixit, Doctores, & Sanctos esse mundi lumina posita super candelabrum Ecclesiæ, & Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, & Doctores tanto splen-*

splendore Ecclesiam illustrarunt, vt appareat illa, tanquam Cælum multiplici Sole, & multiplici Luna insignitum: quid dici poterat de Sanctissima Deipara, cuius lumen, & splendor longè superat lumen Sanctorum, & Doctorum omnium, imò & Angelorum? Si mortales oculos sine caligine haberent ad intuendos hosce splendores Mariæ Sanctissimæ, &c. Ex hoc contextu, qui ex industria mutilatus est, vt sensus V. Matris non evaderet ita conspicuus, constat, quod Pijssima Author minimè confert Mariæ lumen, cum lumine Divini Verbi, sed cum lumine Doctorum, Sanctorum, & Angelorum, in quibus satis supponitur, ipsum lumen Christi superare lumen Mariæ.

Deinde num. 299. antecedenti, ad illa verba, *Lucerna eius est agnus*, docuit Pijssima Author: *Quod B. Virgo non indiguit aliquo Sole, aut aliqua Luna, ex purè creatis, vt eam illuminarent, & docerent.* Et inferiusculè profert: *Quod B. Virgo lumen Sapientiæ, Sanctitatis, & perfectionis suæ, in operando accepit à Sole Iustitiæ Filio suo, tanquam à Magistro.* Rursus num. 268. dixerat: *Quod Virgo Maria est pura creatura.* Et subdit: *Omnis eius splendor est ex Sole Divinitatis participatus; & quamquam Sol Divinus videtur, neutiquam est Sol Divinus per naturam, sed per participationem, & communicationem Divinæ gratiæ.* Tandem 3. p. num. 763. profert: *Quod lumen Mariæ distat infinitè à lumine trium Divinarum Personarum.* Et quod *In sola luce Divinitatis immortalitas, & gloria per essentiam inhabitat.* Et subdit statim: *Etiam anima Sanctissima Christi superat vltra modum dotes animæ Matris suæ: sed conferendo gloriam istius magnæ Reginæ cum omnibus Sanctis, evehitur illa super omnes, velut inaccessibilis, habetque quamdam similitudinem cum Christo inenarrabilem in hac vita.*

Ex his contextibus manifestè liquet, Pijssimam elucescere Authorem insontem criminis intenti à Censura: Constat enim sensisse de lumine Mariæ rectè, & omninò Catholicè; & consequentèr, quod non tribuat Sanctissimæ Deiparę, quod soli Verbo competit. Nàm cum fateatur numeris relatis, & in alijs plurimis, Mariam esse puram creaturam, eiusque lumen esse participatum, distare infinitè à tribus Divinis Personis, Christumque excedere suprà modum, & mensuram omnes dotes B. Virginis, non potest non esse manifestum, quod in præsenti non tribuat Deiparæ, quod Soli Verbo competit. Etenim quæcumque dicat de lumine Mariæ, percipienda necessariò veniunt de lumine participato, infinitè distante à lumine Verbi æterni, & à lumine animæ D. N. Iesu Christi vltra mensuram, & modum. Quod autem lumen Mariæ, superans Sanctorum, & Angelorum lumen dicatur sufficiens ad conducendos omnes homines per tutas vias æternitatis, quid vetat? Forsan nititur Censura illis verbis, *ipsa sola suffice-*

ret? Scrupulus sanè levis; nàm si lumen Mariæ superat omnium Sanctorum,& Angelorum lumen, quid vetat, quod ipsa sola, id est, absque coadiuvamine alterius purè creati luminis, dicatur sufficiens ad illuminandos omnes homines? Nec illa particula, *ipsa sola*, potest intelligi per exclusionem luminis Christi; quia in textu non fuerat facta comparatio cum Christo, sed cum Sanctis,& Angelis: & deindè, quia fatetur Author Pijssima, vt ex contextibus constat, quod lumen Sapientiæ, Sanctitatis,& perfectionis Mariæ provenit à Sole Iustitię Filio eius. Nec potest intelligi, sola, id est, sine dependentia à Deo, siquidem omninò Catholicè sentit V. Mater, quod Maria sit pura creatura,& quod eius lumen sit participatum.

Sed ad testimonijs Sanctorum stabiliendas Patrum proficiscamur iam Propositiones. Quadruplex in textu relato Propositio includitur. Prima, quæ supponitur est, quod *Mortales non habeant oculos satis perspicaces* (vt vertit Censura) *ad intuendum lumen, & splendorem Mariæ Sanctissimæ*. Hæccine Propositio apud Sanctos Patres vulgaris est, & obvia. S. Bernardus, serm. super sign. magn. *Marię*, inquit, *abyssus est luminis, nec facile dixerim, quod vel Angelicus oculus ad huius sideris vehementiam non calliget*. S. Anselmus de Excell. Virg. cap. 3. *Nullus hominum, vel Angelorum penetrare potest immensitatem Divini amoris circa Mariam*. Et paulò post: *Ineffabilis est, & stupenda omni sęculo huius mulieris gratià, & exaltatio*. Et cap. 8. *Immensitatem quippè gratiæ, & glorię, & fęlicitatis tuæ considerare incipienti, & sensus deficit, & lingua fatiscit*. Petrus Damianus, serm. 2. de Nativit. dignitatem Dei Genitricis intuens, sic exclamavit: *Hic taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem*. S. Epiphanius, orat. de Laud. Virg. *Solo Deo excepto, cunctis superior existis; cui prædicandæ, nec hominum, nec Angelorum lingua sufficit*. S. Bernardinus Senensis, tom. 4. serm. 5. de Nativit. Virg. art. vnic. cap. 12. *Ad abyssum imperscrutabilem charismatum Mariæ, Angelicus, vel humanus intellectus, nunquam potuit attingere*. Similia proferunt Andræas Cretensis, serm. de dormit. Deip. D. Bonaventura in specul. cap. 5. & cap. 12. S. Ephren, orat. de Laud. Virg. qui inter alia plura faxit: *Omnium est Sanctarum, ac Virginum corona ob fulgorem inaccessa*. Nec in hac Propositione plus immorandum, quia apud SS. Patres nihil ferè frequentius. Superest in memoriam adducere, quod tanta fuit in hac vita lux,& splendor Deiparæ, vt à B. Dionisio, ni Fides obstaret, statim ac visa, ipsa existimata fuisset Dea, vt posteà ipse Dionisius protulit. Quod autem hæc lux exterior interiorem animæ lucem indicarit, docet Theophilus Raynaudus, tom. 7. p. 1. punct. 2. num. 8.

Se-

Secunda Propositio est; quod tanta sit lux Mariæ, *Vt ipsa sola, (hoc est, sine consortio alterius purę creaturæ, Doctoris videlicèt, aut Sancti) sit quantum est ex se sufficiens ad illuminandum omnem hominem venientem in hunc mundum, & ad eum conducendum per vias rectas æternitatis.* Vbi nota, quod illa particula, *beatæ*, apposita in relatione, est ementita. Hæc igitur Propositio haud leviter deducitur ex præallegatis Patrum testimonijs: nàm si tanta est lux Mariæ, vt Angelico, & humano intellectui existat inscrutabilis, quid mirumquod ad omnem hominem illuminandum, & rectè conducendum, cum sit lux recta, sat sit? Deinde frequentissimè in re sese offert apud Sanctos Patres, Petrus Damianus auscultetur, qui serm. de Assumpt. sic de Maria effatur: *Electa, sed prælecta, vt Sol; quia sicut Sol solus Orbem illuminat, sic hæc sola solidiori lumine, & Angelos, & homines illustrat.* Consonat Cryssippus Presbyter Ierosolimitanus, serm. de Deip. qui sic èam salutat: *Ave fons lucis omnem hominem illuminantis*: quid locuentius? Nec dissonat S. Thomas à Villanova, qui conc. in Annunt. ait: *Tolle Solem, quid est in mundo nisi tenebræ? Tolle Mariam ab Ecclesia, quid restat, nisi calligo?* Similitèr S. Bernardus, serm. de Nativit. *Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum: vbi dies est? Tolle Mariam: quid nisi calligo involvens, & vmbra mortis, & densissimæ tenebræ relinquuntur?* Sanè hæ geminæ postremæ loquutiones difficiliores sunt, quàm Pijssimæ loquutio Authoris. Nec omittendus ipsemet S. Bernardus, serm. de B. Mar. vbi profert: *Ipsa est igitur nobilis Stella ex Iacob orta, cuius radius vniversum mundum illuminat.*

Deinde, *Maria lux*, inquit, Ricardus à S. Laurentio, lib. 7. de Laudib. Mar. & paucis interiectis, ita confert rationem: *Quia oculos illuminat, id est, intellectum, & affectum, qui sunt oculi animę; intellectum cognitione sui, & Dei, affectum dilectione Dei, & proximi.* Hoc supposito, perveniamus ad Sanct. & Angelicum Præceptorem, apud quem extat expressissima Propositio V. Matris; nam opusc. 8. hæccine profert: *Plena fuit gratiâ, sed quantum ad refugium in omnes homines magnum non est in quolibet Sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum; sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, tunc esset maximum: & hoc est in Christo, & B. Virgine.* Quid aptius? Ergò Propositio damnatur in V. Matre, pro qua stat tota famigeratissima Schola D. Thomæ. Adde quod Doctorem Angelicum in his expressis terminis sectatur Cartagena noster, tom. 4. lib. 15. homil. 12. art. 3. Iam auscultandus venit S. Germanus Constantinopolitanus, serm. de zon. Virg. vbi hanc, & precedentem Propositionem V. Matris videtur exprimere, & exponere; ait enim: *Omnia tua admirabilia sunt, ò Deipara, omnia ingentia, & alio-*

rum

rum vires superantia: propterea, & patrocinium tuum malus est, quam intelligentia apprehendi possit. Et inferius concludit: *potens ergò est tuum auxilium, ò Deipara, ad salutem, & non indiget aliquo aliò ad Deum intercessore.* Ecce in re Propositio Vener. Matris, videlicèt, quod lumen Mariæ sit sufficiens solùm, id est, quin indigeat lumine alterius Doctoris, aut Sancti.

Amplius quam Vener. Mater profert Cardinalis Petrus Damianus, serm. 1. de Nativit. Virg. ait enim Mariam alloquens: *Fecit tibi magna, qui potens est, & data est tibi omnis potestas in Cælo, & in terra, & nihil tibi impossibile, cui possibile est, desperatos in spem Beatitudinis relevare.* Vrgentius S. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 17. §. 4. ex mente S. Anselmi, ait enim: *Quod sicut impossibile est, quod illi, à quibus Virgo Maria oculos suæ misericordiæ averterit, salventur: ita necessarium est, quod hi, ad quos converterit oculos suos, pro eis advocans, iustificentur, & glorificentur.* S. Bernardinus Senensis, serm. de Exalt. Virg. art. 2. cap. 8. *A tempore*, ait, *quo Virgo Mater concepit in vtero Verbum Dei, quamdam, vt sic dicam, iurisdictionem, seu authoritatem obtinuit in omni Spiritus Sancti processione temporali.* Nec prætereunda sunt illa verba S. Bernardi, serm. 1. super Salve Regina, videlicèt: *Quod pietatis abyssum, cui vult, quando vult, & quomodo vult, creditur aperire.* Ex his sufficientissimè deducitur, quod tanta sit gratia, & potestas Mariæ per intercessionem, vt ipsa quantum est ex se sola, id est, sine adiuvamine intercessionis alterius Sancti sufficeret ad omnem hominem per vias rectas æternitatis dirigendum, nisi ex parte nostra staret obstaculum; quod satis explicuit Author Pijssima per illa verba, *Si mortales haberent oculos sine caligine ad intuendum Mariæ lumen.*

Convenientèr vsa fuit Pijssima Author terminis luminis, & illuminationis, quia vt ait D. Thomas, citatus opusc. 8. *Convenientèr vocatur Maria illuminata in se, & illuminatrix in alios, quantum ad totum mundum; ideò assimilatur Soli, & Lunæ.* Quibus addito Ricardum à S. Laurentio, lib. 1. cap. 3. vbi ait, quod Maria *Tot habuit in se luminaria, quot virtutes.* Unde subdit: *Ideò postquam dicta est pulchra vt Luna, dicitur electa vt Sol, quia sicut Sol radijs suæ claritatis illuminat mundum, sic ipsa suis virtutibus, & exemplis populum irradiat Christianum. Vnde dicit Eccles. 24. Illuminabo omnes sperantes in Domino.* Ex his manifestè sequitur Propositio Vener. Matris: tùm, quia si oculi hominum, id est, intellectus, & voluntas non haberent obstaculum, ipsa sufficeret ad omnes illuminandos, siquidem illuminat omnes sperantes in Domino. In eo autem sensu, in quo sufficeret ad omnes illuminandos, sufficeret ad dirigendos per rectas vias æternitatis: quia eius illuminatio, quis neget, quod dirigat ad perfectionem? Tùm, quia si omnes mor-

mortales apertè viderent,hoc est,clarè,apertè, aut intuitivè cognoscerent perfectiones,virtutes,prærogativas,quibus Deus donavit Mariam,prodigiaque in ipsa operata callerent, quomodò quilibet non converteretur ex toto corde ad Deum? Quomodò tanto exemplari intuitivè viso perfectionis, vitam quilibet non ageret Sanctam? Quomodò non cognosceret, quod si lumen sapientiæ, & gratiæ Mariæ continet formalitèr,vel eminentèr, quidquid luminis, & gratiæ in Angelis clauditur,& Sanctis, quantum est ex se, sufficiens debet esse ad omnes illuminandos homines,& consequentèr rectè dirigendos?

Ni fallor intento vrgens adstipulatur ratio: vt eam efformemus, S. Bonaventuram ad antecedens stabiliendum lubet calare: *Omnia* (ait in Speculo Virg. cap.7.) *flumina intrant in mare, hoc est, omnia gratiarum genera Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, & reliquorum Sanctorum, in Virginem fluunt.* Doctori Seraphico consonant Patres frequentissimè, S. Laurentius Iustinianus, serm. de Assumpt. Virg. *Quidquid honoris, quidquid fœlicitatis habetur in singulis, totum abundat in Virgine.* Bernardus, Archiepisc. Toletanus, super Salve Regin. serm. vltim. *Quidquid singuli habuere Sancti, sola possidet.* Idiota,lib.de contemp. Virg. cap.2. ait: *Sanctorum omnium privilegia esse in Maria.* Tùm sic; sed lumen sapientiæ, & gratiæ omnium Doctorum,Patriarcharum,Apostolorum,omniumque Sanctorum, & Angelorum collectivè sumptum, videtur non posse non sufficere ad illuminandum omnem hominem,dirigendumque per vias rectas æternitatis,loquendo de illuminatione, & directione, quibus Sancti,& Angeli dicuntur illuminare,& dirigere: ergò lumen sapientiæ, gratiæ,& perfectionis Mariæ potest dici sufficiens, quantum est ex se ad omnes homines illuminandos, dirigendosque per rectas vias æternitatis,loquendo de illuminatione,& directione, quibus Maria dicitur communitèr à Sanctis Patribus,& Theologis dirigere, & illuminare ad vitam æternam.

Haud anceps existam,quod ad illam voculam, *sola*, apposita in illis verbis, *ipsam solam sufficere*, tanquam ad vmbonem decurret vnicùm Censor. Sed hæccine parma carptim modo conteritur multiplici.Primò,quia omninò temerariè,extortè,ex mera libidine damnandi intelligeretur per exclusionem luminis Christi, aut Dei, cum ad hoc nullum adferri possit à Censore fundamentum; imò & talis sensus innumeris repugnet contextibus V.Matris. Secundò, quia ex ipso textu,non mutilato,& truncato,manifestè constat, quod illa vocula, *sola*, ad summum sit intelligenda per exclusionem luminis Sanctorum,quod adhuc,si aliquid obstaret,per amplificationem inter laudandum foret intelligendum.Tertiò,quia Universalis Ecclesia in Of-

ficio Nativitatis, & in Missa B. Mariæ Virg. post Septuagesimam profert: *Gaude Maria Virgo cunctas hæreses tu sola interemisti in universo mundo.* An Ecclesia Universalis configenda est per illam voculam, *sola*? Necne configendi sunt Theologi, & Patres, qui passim simili loquutione vtuntur ex praxi Ecclesiæ, & præsertim S. Athanasius, serm. de Assumptione, S. Cyrillus, homil. adversus Nestorium, S. Bernardus, serm. in sign. magn. ex quibus illa mutuata sunt verba? Quartò, Ecclesia tribuit Mariæ illa verba in Officio Conceptionis Ordinis Minorum: *Vnica es columba mea, vna es perfecta mea.* Et à Sanctis Patribus frequentissimè dicitur Maria Luna, dicitur Sol: Unde Universalis Ecclesia in Officio parvo hæccine tribuit Mariæ verba: *Pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Sol sufficit ad illuminandum diem, Luna licèt adstet nocti simul cum stellis, tamen ipsa sola sufficere nocti valet. Sol dicitur, quia solus: ergò redarguenda Ecclesia: ergò refigendi Sancti Patres per illas voculas, *vnica, vna*, quasi non sint aliæ columbæ, & aliæ perfectæ; & per illa verba Sol, & Luna, quasi ipsa sola illuminet, aut sit sufficiens ad illuminandum per exclusionem luminis Christi?

Quò Censor confugiet ad aliquod præstandum suæ Censuræ fundamentum? Me latet. Si forte ægrè tulit, quòd Author pro Maria similia vsurpasse verba, his Ioannis cap. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* In primis, nec tale caput notatur in margine, nec verba sunt similia; quia Pijssima Author de luce Mariæ solùm profert, quod in tali casu sufficeret ad illuminandum; verba autem Ioannis procedunt de luce, de qua de præsenti dicir, quod illuminat. Secundò, casu quo Author accommodatitiè exponeret illa verba de Deipara, haud latere debebat Censorem ex S. Ildefonso, lib. de Virg. Mariæ, ex S. Germano Constantinopolitano, orat. de Nativit. Virg. & ex alijs SS. Patribus, quod Dei Genitrix est, *Ad quam concurrunt omnia eloquia Prophetarum, ad quam omnia enigmata concurrunt scripturarum.* Tertiò, quia pariter configi possent Sacri Interpretes, & Patres, qui plura loca de Sapientia Divina, & Christo applicant eius Sanctissimæ Matri. Petatur exemplum à nostro Bernardino Bustio in Marial. serm. 4. de Nativit. Mariæ, de qua enucleat illud Isai. cap. 42. *Dedi te in lucem gentium, vt aperias oculos cæcorum.* Et illud Luc. 2. *Lumen ad revelationem gentium.* Similitèr petatur exemplum à D. Bonaventura, qui accommodat Deiparæ illud: *Vt in nomine eius omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Hanccine egi Propositionem diffuse, quia ea videtur Censor niti.

Deveniamus iam ad tertiam Propositionem, in qua dicit V. Mater: *Quod omnes, qui pervenerunt ad cognitionem Dei, ambularunt in lu-*

mine huius Sanctæ Civitatis, videlicèt, Mariæ. Hæc Propositio constat ex omnibus Patribus, qui Mariam Solem nuncupant Ecclesiæ, & totius illuminatricem mundi. Constat deinde ex omnibus Patribus, qui asserunt, nullum ad nos pervenire beneficium, nisi mediante Maria, quorum luculenta testimonia produximus Certamine antecedenti. Deinde deducitur ex Andræa Cretensi, orat. 2. de Assumpt. vbi appellat Mariam: *Fontem Divinarum illuminationum, qui non potest exhauriri.* Est expressa S. Germani, orat. de zon. & fasc. Deip. vbi ait: *Nullus est, qui saluus fiat, nisi per te; nullus est, qui liberetur à malis, nisi per te, ò Purissima.* S. Cyrilli Alexandrini, homil. Ephes. in Nest. *Per quam vniversa creatura, idolorum vesania detenta, ad veritatis cognitionem perducta est, per quam S. Baptisma obtigit credentibus, per quam terrarum orbe fundatæ sunt Ecclesiæ, per quam gentes adducuntur ad pœnitentiam.* S. Bernardi, serm. de Nativit. Mar. vbi ait: *Maria omnibus misericordiæ sinum apperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniversi: captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam.* S. Bern. Senensis, serm. de Exalt. Virg. art. 2. cap. 8. vbi ait: *Quod nulla creatura aliquam à Deo obtinuit gratiam, vel virtutem, nisi secundum ipsius Matris dispensationem.* Nec hic plus immorandum; quia est frequens Sanctorum Patrum loquutio.

Quartò Propositio est, quod proptereà dixerit Ioannes: *Ambulabunt gentes in lumine eius.* Censorem proculdubio offendit, quod V. Mater hæccine Apoc. verba de B. Virgine explicarit; ast animadvertere oportebat ipsum, quod vt protulit S. Hieronymus, Epist. 103. ad Paulinam: *Apocalypsis Ioannis tot habet Sacramenta, quot verba. Parum dixi pro merito voluminis; laus omnis inferior est: in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ.* Deinde animadvertere debebat, quod vt ait S. Bernardus, serm. 1. super Salve Regina: *De hac* (videlicèt Maria) *ob hanc, & propter hanc omnis Scriptura facta est.* De Verbo æterno, de Christo procedunt, inquiet forsan Censor, illa, & alia Apocalypsis verba, quæ etiam Abbatissa de Agreda exponit de Maria. Ast Richardum auscultet, prolog. 1. ad Laud. B. Mariæ: *Verè, inquit, quidquid Antiqui dixerunt de Sapientia Divina, moderni exponunt de Matre Sapientiæ, cui cum sapientia tam multiplex est vnio, quod cum vnivoca sit generatio, quasi emphaticè sapientia nominatur.* Celebrem Doctorem Salmantinum, Episcopum Pacensem, auscultet, qui in tom. de Christo, & Maria; Academ. 18. num. 3. ait: *Quæ de Sapientia genita in Scripturis proferuntur, suaptè ingenio prolabuntur in Virginem.* Et in memoriam redeat illud D. Thomæ in opusc. de potent. q. 4. art. 1. videlicèt, quod *Omnis veritas, quæ salva litteræ circumst antia, potest Divinæ Scripturæ aptari, est eius sensus.*

Colliges ex dictis quot variegatis titulis eliminanda sit Censura; vt potius ipsa, quàm doctrina V. Matris contraria Verbo Dei: dixit enim Christus, Matthæi cap. 5. *Vos estis lux mundi*, ac proinde iam Soli Christo non competit esse lucem mundi, aut mundum illuminare, quanquam origo sit, & centrum totius luminis. Præterea verbis videtur opposita Pauli ad Ephes. cap. 3. vbi ait: *Mihi data est gratia hæc in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes.* Similitèr haud ad stipulata videtur precibus Sanctissimæ, & Vniversalis Ecclesiæ, quæ in hymno, *Ave Maris Stella*, Virginem deprecatur, *profer lumen cæcis.* Deinde haud levitèr in Hæreticorum perfidias adversus Mariæ tutamen videtur illapsa. Fuit enim error Iacobi Heerbrandi in disp. de semin. Abrahæ, relatus in Thesauro Catholico 1. tom. mihi fol. 302. ita se gerens: *Turpissimè errant Pontifices dum D. Virgini tribuunt, quod sit fons inevacuabilis misericordiarum.* Censor autem, quod sit fons inevacuabilis misericordiarum admittere nequit, cum neget, quod ipsa sufficiat sine alio Doctore, aut Sancto intercessore ad homines dirigendos, aut illuminandos, & quod omnes boni in lumine eius misericordiæ, & intercessionis ambulaverint.

Colliges secundò. Nomen Sacratissimæ Facultatis Parisiensis, sub quo hæccine sycophanta Censura est evulgata, haud posse non esse nugatum. Cęterisque omnibus ad hoc rimandum fundamentis prætermisis hoc ineluctabile superest nobis argumentum, videlicèt quod Censura sibi ipsi contradicit, nam in præfatione fatetur, quod *Virgo summa pollet gratia.* Et art. 12. *Quod præ omnibus Sanctis mediatrix sit per intercessionem.* Sed ex his sufficientissimè deducitur, quod lumen gratiæ Mariæ sit sufficiens quantum est ex se ad omnes homines dirigendos, & illuminandos, loquendo de illa illuminatione, quà Virgo potest dici, & dicitur communitèr illuminare; & deinde quod omnes qui pervenerunt ad cognitionem Dei in lumine eius gratiæ, & intercessionis ambulaverint; ergò satis apparet sibi ipsi contraria. Deinde reti illaqueatur, quod expandit: *Declarat*, inquit in præfatione, *Sacra Facultas se potentiori Sanctissimæ Virginis intercessioni, & tutelę præcipuè confidere.* Sed de Fide est præcipuam spem, & fiduciam in nulla creatura, sed in Deo, & homine Deo esse collocandam: ergò si Vener. Mater damnanda est propter illam voculam, *sola*, potentiori fundamento ipsa Censura, tanquam erronea, & impia anathematizanda est propter illam voculam, *præcipuè.* Tandem ipsamet Censura præsentis Propositionis agens de illuminatione hominum, & eorum directione

ad æternitatem, quæ sunt operationes ad extra, & consequentèr tribus Divinis Personis communes, profert quod soli Verbo competunt: ergò potentiori iure ipsamet Censura anathemate refigenda est, aut saltim refigi potest, propter illam voculam, *Soli*, quam Venet. Mater propter illam voculam, *sola*. Cur enim sic non poterit dici de Censura: hæc Propositio, quæ *Soli Verbo tribuit, quod vtpotè operatio ad extra tribus Divinis Personis competit, falsa est, scandalosa, & erronea?* Fateor haud difficile nobis Censorem respondere; sed fateatur, vellit, nollit, necesse nos eodem modo statim responsum ire: ergò Censura in foveam incidit, quam fecit. Hoc igitur de Musæo Sorbonico vbique terrarum famigeratissimo quis ausus timari erit?

CERTAMEN ULTIMUM.

REFERVNTVR, ET PROPVGNANTVR *Propositiones subiectæ Censuræ in vltimo Articulo.*

Multum est vsque quo exarsit Censor adversus præexcellentias Mariæ, vt assertas ex revelatione à Venerabili Abbatissa de Agreda; & quo illum evexit exasperans libido prosternendi has Mariæ laudes. Sex super triginta Propositiones eàdem Censoria quassas virgula sub hoc vltimo attexuit articulo. Quarum nec vnam Sapientissimus, & Illustrissimus Samaniego, qui oculis scrutatus est linceis omnia verba huius primæ Partis, notatu censuit dignam. Iam pro tam multiplici sub eodem Certamine vindicanda Propositione, prolixitatis nimiæ vitandæ ergò, nostra aliquantulum invertanda methodus. In primò Propugnaculo Censuram edam, vbi Propositiones omnes, priusquam in particulari visas, adinvenies in communi propugnatas. Propositiones posteà per Propugnacula rescissas haud perfunctoriè demonstrare incolumes à tali Censura conabimur.

PROPUGNACULUM PRIMUM.

VINDICANTVR IN COMMVNI OMNES PROPOSITIONES *subiectæ Censuræ in vltimo Articulo.*

Censura, qua omnes Propositiones huius articuli configuntur, ita se gerit: *Hæ omnes Propositiones respectivè temerariæ sunt, & contra Ecclesiasticæ regulæ modestiam assertæ; pleraque fabulas, & somnia apocbriphorum redolent, & Religionem Catholicam impiorum, & Hæ-*

reticorum contemptui exponunt. Hæccine Censura. An verò ipsa hæresim sapiat, Religionemque Catholicam impiorum, & Hæreticorum contemptui exponat potius, quàm doctrina V. Matris, nemo non existimavit, si qualitatem harum omnium Propositionum V. Matris rectè perpendat. Igitur supponendum est, vt ex relatione Propositionum manifestè constabit, nullam, vel levitèr tangere Fidem, vel concordi Patrum, aut Theologorum sententiæ adversari: imò nullam alicuius expressæ menti Sancti Patris opponi, sed omnes esse, aut pias opiniones de Sanctissima Virgine, quas nullus Sanctus Pater expresse negat, aut præexcellentias Mariæ, vel rationi, vel authoritati valdè consentaneas, satisque conformes Sanctorum Patrum dictis, opinionibusque pijs de Sanctissima Virgine ab alijs dilucidatis.

Hoc præsupposito, quo nixus fundamento, qua fronte tales Propositiones non repugnantes, in maioremque honorem Deiparæ cedentes, vt assertas ex revelatione à Pijssima Authore, valuit refigere Censuræ Author? Ingenuè fateor quod me fugit, nisi ipsum rimer revelationum privatarum absolutè aspernatorem. Sed hoc faciunt Centuriæ Magdeburgensium, Kemnitius, & alij Hæretici recentiores. Ergòne Censura potiùs, quàm V. Matris doctrina virtutibus, & miraculis apprimè suffultæ, hæresim sapit? Revelationes privatas absolutè spernere haud est contra Sanctos Patres, contra Concilia, contra Summos Pontifices, contra praxim Universalis Ecclesiæ plurimas approbantis? vt constat ex Cert. 2. Propug. 1. Quis ergò nostram Orthodoxam Religionem impiorum contemptui Hæreticorum exponit Censor, an Pijssima Author? Non Pijssima Author, quia nihil non Catholicum profert, & à Sancto Hispaniæ Tribunali Inquisitionis rectè, & maturè non examinatum, & approbatum; sed vtique Censor, qui superbum Hæreticis fundamentum navat omnes nostrates protelandi revelationes, & contemnendi.

Deinde Hæretici laudes Mariæ deprimunt, Catholici extollunt. Pijssima Author extollit. Censor eas detrudit, & deprimit. Quis ergò nostratem Orthodoxam Religionem contemptui Hæreticorum exponit: Humillima Abbatissa de Agreda, an vè Censor? Fateor quod aliqua in his Propositionibus profert Author Pijssima circa Conceptionem, & Infantiam Dei Genitricis hucusque recondita. Sed si neque in se repugnant, & minimè Ecclesiæ adversantur, nunquid Deus ea efficere non potuit, aut facta non valuit revelare? Mira, & portentosa sunt, inquiet Censor, quæ Abbatissa de Agreda de Sanctissimę Virginis formatione, infantiaque edidit. Mira sunt, fateor, sed vt dixit Phocius, Episcopus Constantinopolitanus, homil. de Nativit. Virg. respondere posset Pijssima Author: *Cum Divinæ gratię opus* (scilicet Mariam)

riam) *doceam, quid gratiam cogis servire naturæ, cuius illa semper dominari comparata est?* Igitur cum de Maria agitur, aures non præstandæ naturæ legibus: nam vt ait S. Chrisostomus, homil. in Hypopant. Domini: *Magnum reverà Virgo hæc mundi miraculum est.* Et vt faxit S. Ephren, orat. de Laud. Virg. *Præstantissimum orbis terræ miraculum est Maria.* De ipsa exclamavit S. Ioannes Damascenus, orat. 1. de Nativit. Virg. *O miraculorum miracula, & rerum admirandarum res maximè admirabilis!* Et ne in ipsa tot miraremur miracula, addidit: *Siquidem par erat, vt ad Dei Incarnationem, omni sermonis facultati superiorem, iter per miracula pararetur.* Hinc S. Ignatius Martir, sermonem de ipsa peracturus protulit in 1. ad Ioan. *Si fas est fari cælestis prodigij, & sacratissimi spectaculi.* S. Bernardus, ferm. 2. Pentecost. *Eam negotium sæculorum nuncupavit.* Andræas Cretensis, ferm. de Assumpt. sic est affatus: *Hæc est declaratio profundorum Divinæ incomprehensibilitatis.* Nunquid omnia, quæ V. Mater dicit, & forsan alia plura, imo plurima, imo maiora, ab ijs Sanctis Patribus non innuuntur? Sed quid immoror? Præexcellentia prærogativarum Mariæ, vt inquit D. Bernardinus Senensis, ferm. 51. de Assumpt. *Tanta est, vt soli Deo cognoscenda reservetur:* cur ergò Deus non potuit aliqua mysteria de Sanctissima Virgine, hucusque recondita, de novo revelare?

Tandem, si hoc modo Censoria virgulà revelationes percutiendæ forent, quomodo revelationes Ildygardis, Angelæ de Fulgino, S. Catherinæ Senensis, & aliarum Sanctarum non refigendæ forent, in quibus Deus tot mysteria abscondita manifestavit? Quomodo refigendi non forent libri revelationum S. Birgittæ, in quibus Omnipotens Deus tot de Christo, & Maria manifestavit arcana? Examinari ergò debuit vita V. Abbatissæ de Agreda, an ita virtutibus extiterit, & miraculis suffulta, vt habenda sit credulitate, non verò eius revelationes, tanquam fabulas, tanquam deliria, tanquam apochryphorum somnia audactèr respuere potuit Censor ex parte materiæ præcisè, quin viæ mysticæ, Ecclesiæque tot approbantis revelationes, iniuriam irrogarit. Sed vt distinctè omnes Propositiones istius articuli micent incolumes, ad eas sigillatim proficiscamur clarigandas. Vbi animadvertas, velim, quod quamvis, vt referuntur à Censore, textus in aliquibus, peccent, à nobis modo referuntur fidelissimè, vt iacent in scriptis V. Matris.

(?**?)

PRO-

REFERVNTVR SEX PRIMÆ PROPOSITIONES.

NUm.121. *Tota prima stante hebdomada, quam Genesis refert, in qua Deus creationem peragebat orbis, eiusque creaturarum, Lucifer, & dæmones occupati fuere in machinando, & inter se conferendo iniquitates adversus Verbum humanitatem assumpturum, & adversus Mulierem, ex qua assumpturus erat carnem humanam.*

Num.122. post medium: *Cum primùm Lucifer cum asseclis suis Tartara intravit, omnes congregati, concilium inierunt, quod finitum non est vsque ad initium diei, qui dicitur feria quinta.*

Num.136. *Ex Adamo* (Deus) *Evam efformavit Virgini similem, ita vt ipsam imitaretur in forma, & in persona.*

Num.134. *Altissimus respiciebat filium suum vnigenitum humanatum, eiusque Sanctissimam Matrem, tanquam duo exemplaria, quæ formaverat magnitudine suę sapientiæ, & potentię, vt essent ipsi tanquam prototypi, instar quorum vniversum genus delinearet humanum, vt ipso delineato, instar harum duarum imaginum suæ Divinitatis, cæteri omnes iuxta horum exemplarium normam ad imaginem conditi evaderent.*

Num.172. *Nam ni se obligassent* (Ioachimus, & Anna) *particulari voto ad eam templo consecrandam, antequam illam cognoscerent, & cum ea agerent, videntes eam posteà tam suavem, tamque placidam, non possent eam devovere tàm prompto animo, ob ingentem amorem, quo ipsam prosequebantur.*

Num.185. *Prudens Matrona Anna, nec S. Ioachimo, nec creaturæ alteri aperuit arcanum illud, videlicèt, quod filia sua extitura erat Messiæ Mater. Nec Sanctus Parens toto suæ vitæ tempore amplius agnovit, quàm quod futura erat magna, & praecellens mulier. Ast Altissimus illi hoc arcanum aperuit in articulo mortis.*

PROPUGNANTUR.

ME prorsus fugit, quo nixus fundamento, hasce Censor Propositiones fuerit refigere ausus. Duas Propositiones decurramus primas. Ibi quid temerarium? Quid absonum? Fortè Censorem offendit, quod supponitur, videlicèt, quod Incarnationis Mysterium Angelis à suæ primordijs creationis fuerit revelatū. Ast hæc doctrina irreprehensibilis est, vt constat ex Certamine 4. Propug. 2. Vt autem amplius liqueat, quàm consentanea sit doctrina Pijssimæ Authoris Theologis, & Sanctis Patribus, addito hanc fuisse expressam mentem Magni

ni Parentis Augustini, lib. 5. de Genes. ad litteram, cap. 19. & 9. de Civit. Dei, cap. 21. Ruperti in illud Ioan. cap. 8. Cartusiani, & Lyrani in illud Isai. cap. 63. *Quis est iste, qui venit de Edon?* Hanc doctrinam ex D. Augustino docent S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 7. ad 1. & alibi, S. Bonaventura 2. d. 4. art. 3. q. 1. fundam. 3. & in meditatione vitæ Christi, cap. 2. Suarez, lib. 5. de Angelis, cap. 6. num. 9. qui valdè hanc sententiam dilucidat ex mente SS. Patrum, vt diximus loco præallegato. Unde frequens est in omni Schola; videatur ex Thomistis Magister Gonet, tom. 2. disp. 13. num. 100. ex Scotistis noster Pontius in curs. Theol. d. 16. num. 17. & noster Frassen Doct. Paris. t. 2. tract. 1. d. 3. art. 3. q. 2. num. 36. ex alijs Franciscus Bonaspei Carmelita, tom. 3. disp. 14. num. 47.

Ex hac doctrina, quam tenuit Pijssima Author num. 88. primæ Part. duæ primę Propositiones omninò incolumes nitescunt. Quid enim in illis reprehendi valet? Nunquid, quod Angeli mali exarsissent, & inter se contulissent adversus Verbum assumpturum carnem, & Matrem eius? Ast Scriptura dicit Apoc. 12. v. 17. *Iratus est draco in mulierem*, vbi Albertus Magnus, D. Thomas, & alij multi exponunt: *Et iratus est draco, id est, diabolus in mulierem, id est, contra mulierem, videns eam habere auxilium Christi.* Cur ergo non potuit dicere V. Mater, quod Lucifer, & sequaces eius machinati sunt iniquitates adversus Verbum assumpturum carnem, & eius Matrem? Renuit Censor, quod Angeli mali inter se conferrent; sed nunquid omnes Theologi aberrant, qui docent, Angelos inter se colloqui? Aut nunquid difficilius inter se colloqui, quàm inter se conferre? Supposito quod Angeli mali Verbum assumpturum carnem, eiusque Matrem cognovissent, quid magis rationi consentaneum, quàm quod adversus eos iniquitates machinati fuissent? Quid Fidei Catholicæ magis consonum, quàm quod statim ac deiecti sunt è Cœlo, ira, invidiaque adversus naturam humanam, cum qua vnio hypostatica efficienda, exarserint?

Delirium appellat Censor illam voculam, *Concilium, & collationem dæmonum inter se*? Ast animadvertere debebat, quod V. Mater talia relatura dixerit in fine numeri antecedentis; indignationem antiqui serpentis adversus Verbum assumpturum carnem, eiusque Matrem, *Proferam iuxta meum posse, eo modo, quo mihi manifestatum est per intelligentiam.* Ex quibus liquet, quod V. Mater exasperantem Luciferi indignationem eis explicuit, quibus potuit verbis. Sed nunquid delirabit Petrus Damianus, qui serm. de Assumpt. profert: *Evocatur ille cælestis Conventus, init Deus consilium, cogit concilium, facit Deus sermonem cum Angelis de restauratione eorum?* Si licet dicere, quod Deus cogit concilium cum Angelis, cur non potest dici, quod Lucifer co-

git concilium cum dæmonibus? Ex Iob cap. 1. non constat, quod Deus alloquutus est Sathàn, & quod Sathàn respondit? Vtique. Dicitur enim: *Adfuit inter eos etiam Sathàn, cui dixit Dominus vnde venis?* Qui respondit: *Circuivi terram.* Cur ergò non potest dici, quod Lucifer alloquatur alios dæmones, quod inter se conferant, & consequentèr quod conciliabulum ineant? In Chronicis Religionum, in descriptionibus vitæ Monasticæ, & spiritualis animarum sanctarum, quot collationes dæmonum, quot diabolica conciliabula leguntur? Sat sit in particulari referre conciliabula, & collationes dæmonum adversus B. Parentem nostrum Franciscum, statim ac natus est, quæ referuntur in Chronicis Seraphicis 1. Part.

Deindè non constat ex Apoc. 12. quod *Factum est prælium magnum in Cælo, Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius?* Ergò difficilius dæmones concilium cogere, quam prælium inire? Si dici potest, quod Angeli alij prælientur adversus alios, cur non potest dici, quod aliqui in vnum conveniant? Si dicuntur præliari alij adversus alios, qui ex vna parte stant, iam dicuntur insimul convenire. Nunquid Theologi non asserunt, Luciferum alios concitasse spiritus ad rebelliendum, & superbiendum? Cur ergò inter se conferre non possunt? Cur delirium est asserere, quod concilium ineant? Deliravit nunquid Michæas Propheta, dum Reg. 3. c. 22. inquit: *Vidi Dominum sedentem super solium, & exercitum ei assistentem à dextris, & à sinistris, & ait Dominus, quis decipiet Achab? Et dixit vnus verba huiusmodi, & alius alitèr. Egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait, ego decipiam illum. Cui Dominus, in quo? Et ille ait, egrediar, & ero spiritus mendax.* En dæmones congregatos, quibus Deus ipse præest. En ergo dæmones in concilio.

Cur ergò dæmones non potuere inter se conferre, & conciliabulum cogere, statim ac de Cœlo deiecti sunt adversus Verbum assumpturum carnem, & eius Matrem? Hoc sanè de facto contigisse valdè consonat B. Amadæo, Episc. Lausensi, rapt. 4. vbi idem prælium Angelorum, quod retulit V. Mater in præsenti enodatione, cap. 12. Apoc. mirabilitèr refertur, & dicitur: *Tum Beelzebub Princeps dixit, adhuc est quod molestè ferimus, quia etiam mulierem quamdam omnibus nobis prælaturus, quæ non erit Deus.* Ex his quid magis rationi consentaneum, quàm quod dæmones statim ac de Cœlo deiecti sunt, ita adversus Verbiparam, invidiaque exarserint, collationesque, & conciliabulum egerint, & inierint adversus ipsam? Sanè S. Cyrillus Alexandrinus, homil. Ephes. in Nest. fatetur: *Per quam* (scilicèt Mariam) *tentator diabolus de Cælo decidit.* Quid ergò mirum, quod ita exarserit adversus ipsam, aliosque spiritus malignos in eam, & in Christum concitarit, adver-

versus quem etiam peccavit invidendo,& nollendo se ei subijcere,vt docent communitèr Theologi,licèt primum eius peccatum afferatur frequentèr fuisse superbiam? Quæ omnia consona sunt Pijssimæ Authori num.85. vnde ipsa mirabilitèr suis est principijs consentanea. Cuius in præsentiarum præsertim est miranda doctrina, ex eo quod explicat caput 12. Apoc. in quo factum esse dicitur prælium magnum in Cœlo. Quam expositionem,quin existimet divinitùs inspiratam,nemo attentè leget. Nec detrudenda expositio ex eo quod in ipsa magna detegantur arcana, nam vt supra retulimus ex S.Hieronymo: *Apocalypsis Ioannis tot habet Sacramenta,quot verba.*

Præterire haud debeo revelationem illam, quam noster Bernardinus Bustius,serm.8.de Concept. sectatur,proferens, quod Religiosa quædam B. Laudibus Virg. apprimæ studens,hæccine à Christo Domino nostro auscultavit verba: *Scies filia pro certo, quod postquam dæmones ceciderunt de Cœlo, Angeli confirmati in gratia Dei omni anno festum Conceptionis Matris meæ in cœlesti Curia solemnitèr celebrarunt.* Si igitur Angeli boni celebravere Mariam,statim ac mali proiecti sunt, quid magis consonum rationi,quàmAngelos perduelles adversus eam collationes egisse,eamque persequi deliberasse? Nunquid non dicitur ipso Apoc.cap.12. *Et draco persequutus est mulierem.*

Ad tertiam,& quartam Propugnandam aggrediamur Propositionem. Nec mirum non potest esse, quam rectè Author Pijssima suæ stet doctrinæ consentanea. Tenuerat quod Virgo prædestinata fuit ante omnigenam puram creaturam. Hæccine quàm irreprehensibilis sit doctrina,facilè dilucidabitur,eam siquidem tradit expresè S. Bernardinus Senensis,tom.2. serm.51.art.2.cap.4. *Tu*, inquit, *ante omnem creaturam in mente Dei prędestinata fuisti, vt Deum ipsum hominem procreares.* Hoc dicit,& ex expressa mente Anselmi in orat. ad Christum,& Mariam; estque expressa sententia Andręæ Ierosolimitani, serm.2.de Annunt. Ruperti, lib. 2.in Cantic. Andręæ Cretensis, sermone de Assumpt. Magni Parentis Augustini in Milleloq. eiusdem verbo *Maria*,in Bibliotec. Virg. tom.3.mihi fol.480. vbi faxit: *Eadem B. Virgo ante constitutionem mundi consilio æternæ sapientiæ electa, & prælecta.* Patris Francisci Suarez in 3.p. tom.2. disp.1.sect.3.qui eam deducit ex Augustino, ex Angelico Præceptore D. Thoma, ex Leone Papa,Damasceno,Cyrillo Ierosolimitano.Quæ necessariò connexa est plausibili sententiæ de prædestinatione, & prędefinitione Christi ante omnem creaturam, in qua quàm ingens pars Theologorum Doctori adstipuletur Subtili,eiusque Scholæ ex extraneis nemini versatorum in Theologia valet esse occultum.

Hoc præsupposito,quo fundamento potest tertia, aut quarta resi-

gi Propositio? Nunquid repugnat, quod Deus illam primam Matrem viventium, Evam faxo, ad instar Deiparæ mente Divina præconcepta, efformarit? Doctrinæ fortè Ecclesiæ, aut Patrum vtriusque similitudo in specie, aut in modis agendi adversatur? Ast frequentèr reperitur in Sacris Interpretibus, & Patribus excogitata inter Evam, & Mariam similitudo in naturæ donis, iustitiæque dotibus originalis. Quod primus Adam in similitudinem fuerit secundi efformatus, edisseruit Tertullianus de resurrectione carn. cap. 6. vbi postquam Deum in plasmatione Adæ totum occupatum scrutatus est, subdit: *Ita limus ille iam tum imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed & pignus*. Eandem opinionem habet Glossa, quæ citatur in Catena Lypomani in Genesim ad illa verba, cap. 1. *Ad imaginem, & similitudinem nostram*. Origenes homil. 1. in Genes. noster Haye in Arb. Vit. in cap. 1. Genes. num. 714. Oleaster diffusè ad illa verba cap. 1. Genes. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem*; & alij plures. Et quidem quid frequentiùs apud S. Patres, quàm magnam inter vtrumque fuisse similitudinem? Igitur non consentaneum rationi, quod prima Eva ad instar secundæ mente Divina præconceptæ, ante primam prædestinatæ, & prædefinitæ, fuerit delineata? Procopius Gacęus ad caput 3. Gen. ait: *Quod Maria typus Evæ fuit*. Et Andræas Croequetius in Salut. Ang. relatus 3. tom. Bibliot. Virg. ex mente S. Epiphanij, sic est loquutus: *Vocatur Eva Mater viventium, sed hoc illi datum est, quia gerebat typum huius nostræ Virginis*. Cur ergò non potuit ad instar Mariæ delineari? De haccine, Deipara faxo, profert Andræas Cretensis, serm. 2. de Assumpt. *Hic est scopus, qui excogitatus est ante sæcula*. Cur ergò antequam eius actualem existentiam ederet, illius formam exprimere in illa prima muliere non potuit? Sanè Fernandez in Genes. tom. 1. cap. 2. sect. 3. num. 4. & 5. faxit, quod orbis conditione Deus Sacratissimam Mariam, Matrem exituram Dei, *quodammodo in rebus à se conditis delineabat*. Sed quid immoror? Si prædicta Propositio, vt ex revelatione asserta, ex parte refigitur materiæ, quæ revelatio, quæ sit de rebus hucusque absconditis, est admittenda?

Propositio quarta ex dictis incolumis nitescit; nam si Christus, eiusque Mater ante vniversum genus humanum concedantur prædestinati, & prædefiniti, quo fundamento convelli valet, quod ad eorum instar, tanquam ad instar superiorum imaginum Dei, vniversum genus humanum describere Omnipotens potuerit? Nunquid Christus Dominus noster, qui ratione personæ imago Dei erat invisibilis, vt sic ante omnes creaturas prævisus, & prædestinatus, non debuit quoque ratione humanitatis esse visibilis imago Dei, omnium visibilium per-

fectis-

fectissimâ? Paritèr eius Sanctissima Mater, *post Illum suum*, vt inquit Andræas Cretensis, orat. 2. de Assumptione: *Non est imago Divini Archetypi rectè descripta.* In qua, *delineanda totam artem consumpsit Summus Artifex.* Sicut aiebat Ioannes Geometra, hymno 3. benè, & devotissimè propallante Gersone, Cancellario Parisiensi, tract. 3. super Magnific. *Conabimur inanitèr, si verbis æquare volumus pulchritudinem eius, quę sub Deo maior nequit intelligi, colligens in se omnes pulchritudines sparsas in creaturis.* Quod prius effatus fuerat Georgius, Archiepiscopus Nicomediensis, sic alloquens Virginem: *O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum! O Dei Genitrix, pulchrorum omnium summum ornamentum!* Cur ergò Christus, & eius Mater, si geminæ sunt imagines, maximè, servatis servandis, similes Deo, non potuerunt esse ideæ, ad quas Deus respexerit in vniversi humani descriptione generis? Quod est primum in vno ordine, non est mensura, & exemplar cæterorum iuxta Philosophos? Consentaneum igitur est rationi, quod Deus ad instar Christi, & eius Matris, tanquam duorum absolutissimorum similitudinis Dei exemplarium, non dumtaxat Adamum, & Evam, sed etiam vniversum genus humanum, procuderet. An in hoc aliquid temerarium contra regulas Fidei assertum?

Quinta Propositio, qua ratione potuit configi, iudicet Lector. Ego in illa nec apparentèr aliquid absonum, aut temerarium rimari possum. Quod enim Sanctissima Infantula Maria fuerit summè amabilis, summè suavis, placida summè, quis, nisi exasperans, neget? Hoc supposito, & experimento à Parentibus comprobato, quid rationabilius, quàm quod eam non tanta animi protymia libarent templo? Quid naturalius? Quot Parentes pijssimi, & virtutibus præditi filios valdè placidos, proptereàque valde dilectos, ægrè ab illorum consortio secerni ferentes, ob affectum Paternum, & innatum, hinc merito Religionibus eximiori sacrant? Nunquid meritum haud eximius, cum bonum, natura renuente, & luctante, opus peragitur? Aut nunquid in viris probissimis, in præcellentibusqueSanctis caro, & innatæ propensiones, etsi trophęum non reportassent, non pugnarunt adversus spiritum? Ergò in Sanctissimis B. Mariæ parentibus affectus paternus, & innatus non potuit illum contra segregationem reniti? Nunquid haccine devicta naturæ renitentia, opus oblationis non posset evadere eximius? Sanè hoc dumtaxat Censor inferre ex illis verbis, *non devovissent eam tam promptè, seu tam prompto animo*, debuit: præsertim cum liberos, & natas infantulas, aut educare domi liberum sit, aut instruendos Monasterio, Religioni committere, vel templo. Sed quid insisto? Censor Propositionem, vt iacet, refigere neutiquam ausus, sed vt eam configeret, confixit: nam vbi Pijssima Author profert, quod si

Pa-

Parentes B. Virginis eam ante votum oblationis cognovissent, videntes eam tàm placidam, tàmque suavem, *non devovissent illam tàm promptè, seu tàm prompto animo*; Hispanicè, *con tanta promptitud*; Censor confixit: *Omnes difficultates excogitabiles perpessi fuissent, cum se ab illa separassent, nec ipsam libassent, nisi voluntate adversante ob magnum amorem, quo erga illam afficiebantur.* Ex quibus apertè liquet, quod ista Propositio nulla ratione, nullo fundamento, detrudi potest, vt in proprio textu iacet.

Sexta Propositio, vt Censura confixa, Censuræ qualitatem omnimodè detegit. Nàm quod B. Anna Incarnationis arcanum in visceribus natę suæ, B. Ioachimo non indicasset, vndè repugnat? Qua ratione? Quo fundamento? Quo adversante testimonio valet hæc revelatio convelli? Quod autem Altissimus illud Sacramentum Ioachimo, iam ferè spiritum exhalâti, enucleasset, improbare ratione, aut authoritate, quis ausus erit? Cur ergò hæccine prosternitur revelatio? Haud credam aliam fore rationem, nisi quod Censor omnes revelationes, haccine tempestate privatas, murmurillat, & respuit: ideoque quæ profert V. Mater hucusque recondita, tanquam nugas, tanquam deliria, apochryphorumque redolentia somnia, ausus est effutire. Sed, ò Bone Deus! quot arcana, quot anterioribus sæculis recondita, continentur in revelationibus S. Birgittæ, aliarumque Sanctarum, censenda sunt deliramenta? Non refert ex revelatione sibi facta S. Birgitta lib. 1. cap. 9. *Quod Parentibus B. Mariæ revelauit Deus per Angelum conceptum Sanctissimæ Virginis*? Nunquid difficilius Deum revelasse eis Incarnationis arcanum in visceribus suæ Filiæ peragendum, quam Conceptionem talis Filiæ revelasse? Nunquid non potuit illud Sacramentum revelare primum B. Annæ, & posteà B. Ioachimo in articulo mortis? Nunquid hæccine sic peracta ob fines potius reverendos, quam scrutandos haud valuit V. Abbatissæ de Agreda, virtutibus eximijs insignitæ, mediante adaperire revelationis lumine?

PROPUGNACULUM III.

REFERVNTVR ALIÆ QVINQVE PROPOSITIONES.

NUm. 201. *Altissimus determinavit, & assignavit illos* (videlicèt Angelos) *in ministerio occupandos tàm sublimi, & ex singulis novem Choris centum selegit, qui nongenti sunt, & statim duodecim destinavit alios, vt frequentius assisterent illi in forma visibili, & corporali, & isti habebant insignia, aut signa Redemptionis.*

Num. 201. prope medium: *Pręterea Dominus assignavit octodecim*

cim alios de sublimioribus, vt ascenderent, & descenderent per hanccine mysticam Iacob Scalam ad legationes gerendas Reginæ ad Regem, & eiusdem Domini ad ipsam....... Et quando singulari illuminatione non erat erudita, hos Sanctos Spiritus mittebat, vt proponerent Domino id de quo ambigebat.

Num. 202. *Vltrà numerum omnium Angelorum, quorum facta est mentio, Altissimus assignavit, & destinavit alios septuaginta de sublimioribus Seraphinis, & proximioribus Divinitatis Throno, vt conferrent cum Regina Cæli, eamque communicarent, ad modum quo ipsimet inter se loquuntur, & superiores inferiores illuminant.*

Num. 205. *Ad melius hoc invencibile agmen disponendum, designatus est, tanquam caput illius, Princeps Cælestis Militiæ Sanctus Michael.*

Ibidem. *Etiam Princeps S. Gabriel consignatus fuit, vt descenderet ex parte Patris Æterni ad legationes, mysteriaque, quæ ad hanccine spectassent Reginam Cæli.*

PROPUGNANTUR.

Quam temerariè, & absque vllo fundamento Theologico, hæcine contrusę sint Propositiones, diiudicet Lector. In eis quid absonum, quid regulis adversans Fidei? Quid menti Sanctorum Patrum, aut Theologorum demonstrari valebit contrà nitens? Me herclè hæccine omnia, & doctrinæ, & menti probatissimorum Authorum, à quolibet, non cæcutiente damnandi libidine, non possunt non comprobari consona. Luculenta testimonia producamus Sanctorum Patrum, quibus tanta multiplicitas Angelorum in ministeria, & obsequia B. Virginis designata, consona non possit non videri. S. Ioannes Damascenus, orat. 1. de Nativitate sic de Maria profert: *O Sanctissima Filia, quæ materni vberis lacte aleris, & ab Angelis vndique cingeris.* D. Gregorius Nicomediensis, orat. de oblat. Deip. in temp. *Oportebat, non vnum solum ei servire Angelum, sed millia millium eam stipare.* S. Bernardinus Senensis, tom. 2. serm. 52. art. 3. cap. 2. *Adfuit Virgini Angelorum protectio, assistebant enim illi innumerabiles multitunes Angelorum in eius protectionem, piè enim creditur, quod plurimas legiones habuit Angelorum ad protectionem.* D. Hieronymus, seu quilquis est Author libri de ortu Virginis inter opera D. Hieronymi, tom. 9. *Quotidie Virgo ab Angelis frequentabatur.* Nec refragatur D. Thomas 3. p. q. 30. art. 3. ad 3. vbi ait: *Quidam tamen dicunt, quod cum B. Virgo assueta esset visionibus Angelorum, non turbata fuit in visione Angeli, sed in admiratione eorum, quæ ab Angelo dicebantur: vndè & Evangelista non dicit, quod turbata fuit in visione Angeli, sed in sermone eius.* Attentè

illa

illa vltima trutinentur verba: ex eis siquidem manifestè patet sententiæ illi asseveranti, Virginem assuetam visionibus Angelorum esse, Doctorem Angelicum suffragari.

Sanctus nec prætereundus Epiphanius de Laud. Mariæ vbi Angelorum enodans lætitiam in Verbiparæ Nativitate faxit: *Deum habitantem in Cęlis concepit in terra, vt hac ratione exercitus Angelorum in terram traheret.* O Censura millies miranda! Sanctus Epiphanius profert, quod Angelorum exercitus, Virgo degens in terris, ad se allexit Maria, quia Mater Dei; & tanquam temerarium in his Censoria quatit virgula proportionibus mille fuisse in eius obsequium destinatos. Quid ergò ad S. Bernardinum, qui profert plurimas legiones, imo innumerabiles multitudines? Quid ad Sanctum Gregorium Nicomediensem, qui faxit, *millia millium*? Forte offendit Censorem hosce determinatos numeros V. Matrem propallasse? Sed nunquid Deus hoc revelare non potuit? Haud sufficiens fundamentum non est revelatio sibi facta, vt V. Mater talem cœlestium seriem spirituum, & destinationem proferret? Forsan Censor Mariam Imperatricem esse, & Reginam diffitebitur Angelorum? Aut nunquid clientes tali, vel tali ordine dispositos, terrestres stipare Reginas non assuetum? Ordo, & dispositio non creditur à Theologis inter Angelos? Ipsi ordinem, & dispositionem inter se non gerunt respectu famulationis Altissimi Regis cœlestium? Quid ergò magis rationi consentaneum, quàm quod ipsi etiam talem, vel talem ordinem, & dispositionem in stipulatione Reginæ cœlestium, & terrestrium servent?

Enim verò hanccine cœlestium multiplicitatem spirituum à primordijs formationis Mariæ destinatum iri, forte mirabatur Censor? Sed quid in hoc menti Sanctorum Patrum dissonum? Nunquid Arnoldus Carnotensis, lib. de Laud. Mariæ non faxit: *Obsequium Angelorum patet fulsse ab eius Conceptione*? Aures, aures præbeat Censor Magno Parenti Anselmo, lib. de Excellentia Virg. cap. 3. *Nulli dubium* (inquit) *Castissimum Corpus, & Sanctissimam Animam eius ab omni fuisse macula peccati iugi Angelorum custodia protectum.* Et vt Aristarchi obiectio fumescat, statim suppeditat rationem: *Vtpotè aulam, quam suus, & omnium Creator Deus erat corporalitèr inhabitaturus. Nam inter omnes obtinuit vsus, cum præpotens aliquis, & persona dives aliquo vadit hospitaturus, vt clientes præcurrant, & locum præparent.* Hic lubet Fulbertum Carnotensem, serm. de Nativit. Virg. iteratum producere: *Quanta, inquit, putemus provisio Angelorum circa tàm Deo gratissimos Parentes ab initio suæ Conceptionis, & excubatio super tàm ingentem sobolem? Nulli Fidelium dubium est, quod circa eam iam omnis frequentia cœlestium agminum invigilabat.* Consonat Amadæus, Episcopus Lausanensis,

ßis, laudatus Certamine 5. Conferas, quæso, illud Anselmi, & Fulberti Carnotensis, *nulli dubium est Fidelium*, cum nostratis Censoris sententia in præsentiarum, & iudicio.

Si forsan in aliqua ex his Propositionibus ægrè tulit Censor, quod Angeli destinati fuerint aliqui ex sublimioribus Hierarchijs, & proximioribus Throno Dei, nunquid evidenti contraditione ausus erit, hoc potuisse fieri improbare: Unde Divinæ Omnipotentiæ repugnantia in hoc assignari quivit? Irreprehensibilis sententia vtriusque Scholæ, Thomistarum, & Scotistarum, debet esse, omnes Angelos de potentia absoluta in ministeria posse mitti: nam Scotus cum alijs plurimis ex suis, & ex extraneis asseclis, asserit, nullam esse rationem, cur omnes Angeli non mittantur de lege ordinaria, iuxta illud adHebræos 1. *Omnes sunt administratorij spiritus*. Et iuxta illud Daniel 10. vbi Michael missus dicitur, *Vnus de Principibus primis*. Et iuxta D. Bernardum, homil. 1. *Super missus est*, vbi arbitratur Gabrielem missum ad Mariam esse de superioribus Choris; & iuxta alia testimonia haud levia. Angelicus autem Præceptor 1. p. q. 112. art. 2. licèt neget Angelos primæ Hierarchiæ mitti ad exteriora ministeria immediatè, nunquam negavit, quod de potentia absoluta posint mitti; imò nec quod mittantur mediatè. Videatur, si placet, Magister Gonet, tom. 2. disp. 16. art. 2. Si autem miraculum asserendum speciale foret ad suprà relatam destinationem Angelorum ordinis sublimioris in obsequium Mariæ, quid inde? Præsertim cum Damascenus, Propugn. 1. laudatus de Virgine, exclamet: *O miraculorum miracula!*

Quid restat Censori obiurgandum? Forsan se non posse non mirari Virginem, antequam alvo gestaret Verbum, antequamque fuisset adepta dignitatem Matris, tanta, tamque mira obsequia Angelorum à suis primordijs aucupatam fuisse. Sed in primis attenta mentis lance trutinandum est, suis V. Mater principijs, quàm stet consentanea. Ipsa enim ferè in sui operis limine Mariam prædefinitam in dignitatem Matris Dei, & ante omnem aliam puram prædestinatam creaturam, firmavit. Cuius vi decreti, Sponsa Dei prælecta, hominum Angelorumque, qui post ipsam decreti sunt, Regina est effecta. Ex quibus liquet, quod cum Deipara concepta, & orta est, vt Regina omnium Angelorum, & hominum concepta est, ac nata. Deinde vt rectè sensit S. Petrus Chrisologus, serm. 144. *Maria Mater vocatur, & quando non Maria Mater*? Ergò si quando Mater Regina Angelorum, Maria quando Angelorum non Regina? Nunquid hoc affatim Scriptura non innuit? Sic ex mente Universalis Ecclesiæ in Officio ad Nives in cap. 8. Prov. Maria effatur: *Ab æterno ordinata sum*. Septuaginta, *fundata sum*. Rodolphus apud Ferdinandum de Salazar: *Ab æterno coronata*

sum. Textus Hebraicus: *A sæculo Principatum habui.* Nunquid hoc non est innuere Mariæ pro semper Coronam, Imperium, & Principatum? Sed super quæ, nisi super omnes puras creaturas, homines, & Angelos?

Iam vt mireris miram harum revelationum harmoniam cum Sanctorum doctrina Patrum, quæsso, secundam huius Propositionem Propugnaculi cum eis, quę inter alios profert S. Damascęnus, orat. 1. de dormit. Deip. conferas; vbi expressè Mariam, *Scalam Iacob, ad quam Angeli quidem descenderunt, vt Domino Deo inservirent, nuncupat.* Vltimam huius Propugnaculi Propositionem, cum S. Anselmo, S. Bernardo, conferas, quæsso. S. Anselmus, lib. 2. de Virginib. ait: *Denique Gabriel eam vbi revisere solebat, invenit.* S. Bernardus, epist. 67. profert: *Gabrieli Virgo servanda abinitio tradita fuisse, credenda est.* Idem docet Petrus Damianus, serm. 1. de Nativitate. Ex his Patribus idem piè, & probabilitèr Authores tradunt bène multi. Nunquid nefas V. Abbatissam de Agreda proferre, quod præfati SS. Patres proferunt? Ergò qua fronte, tanquam delirium, tanquam apochryphorum somnium, Orthodoxam exponens Religionem Hæreticorum contemptui, Propositionem illam proferentem Angelum Gabrielem destinatum ad legationes gerendas, in obsequiumque Mariæ, Censor damnare potuit? Quanta præfatis iniuria irrogetur Patribus, trutinet Lector.

Prætereà Mariam in Templo nutritam fuisse ab Angelis, asseverant, S. Gregorius Nicomediensis in orat. de Virg. oblat. S. Germ laudatus à Barradas, lib. 6. c. de præsent. Virg. S. Bonaventura in medit. cap. 3. Author libri de ort. Virg. alijque SS. Patres, quod idem adamussim docent Authores de Mariæ laudibus peragentes. Nunquid delirarunt hi SS. Patres? Nunquid difficilius Deo, quod Author Pijssima ex sibi revelatione præstita asseruit? Quo ergò fundamento ex parte materiæ revelatio refigitur talis?

Præsentem doctrinam V. Matris authoritate haud perfunctoriè ediseruimus suffultam. Prospicito eam quoad multiplicitatem Angelorum ratione cataphractam. Principium est inconcussum Patrum, & Theologorum advenandas Mariæ præcellentias, *Quod illud, quod vel paucis mortalium constat esse collatum, fas certè non est suspicari tantæ Virgini esse negatum,* ex S. Bernardo, epist. 174. Et hoc *perfectius*, vt iam non semel comprobabimus. Sed ex lib. 4. Regum, c. 6. v. 17. constat Eliseum plurimos ad suum iuvamen, protectionemque obtinuisse cœlestes Spiritus: *Plures*, enim dixit, *nobiscum sunt.* Lyra: *Sciebat enim per Spiritum Sanctum protectionem Angelicam in sui auxilium advenisse.* S. Bernardinus Senensis, tom. 2. serm. 51. art. 3. *Angelorum multitudinem habuit ad sui defensionem.* Ergò Mariæ à primo instanti, in quo

Tar-

Tartarei Principis bellatrix, & victrix fterit, deneganda non est Angelorum multiplicitas ad protectionem, iuvamen, & obsequium. Quantus autem, & qualis numerus extiterit iste, quis scire potuit? Ille cui Deus revelasset.

PROPUGNACULUM IV.

REFERUNTUR ALIÆ SEX PROPOSITIONES.

NUm. 218. *Dies, in qua prima Conceptio Corporis B. Mariæ Virgin. effecta est, fuit dies Dominica, correspondens diei creationis Angelorum, quorum Regina, & Domina extitura erat superior illis.*

Ibidem prope finem: *Virtus Divina attenuavit tempus naturale in formatione Corporis Mariæ Sanctissimæ; & id quod octoginta diebus (aut in illis qui naturalitèr necessarij erant) debebat peragi, perfectius peractum est septem diebus.*

Num. 219. *In Sabbato sequenti, & proximo huiccine primæ Conceptioni, secunda facta est, Altissimo creante animam Matris suæ, eamque corpori infundente.*

Ibidem in fine: *Itaque haccine dies fuit Deo, tanquam dies festivus, & tanquam dies Paschalis, etiamque omnibus creaturis.*

Num. 220. *Propter hoc Mysterium Conceptionis Mariæ Sanctissimæ Spiritus dispofuit Sanctus, quod dies Sabbati esset dicata Virgini in Ecclesia Sancta.*

Num. 221. *Intueor* (loquitur Author de Conceptione Mariæ) *quod..... mille destinantur Angeli in protectionem thesauri vnius corpusculi animati in quantitate ad instar apis exiguæ.*

PROPUGNANTUR.

QUid magis doctrinam V. Matris vt irreprehensibilem commendare potest, quàm Censoria concussas virgula hasce lectitare Propositiones! In eis absonum, temerarium quid? Intuitor quàm rationi consentaneum? Quod in formatione Mariæ septem dies à die Dominica vsque ad diem Sabbati fuerint consumpti, mysterium fuit, vt formatio Mariæ, inquit V. Abbatissa in ipso numero, Orbis correspponderet formationi. Numquid hoc rationi non valde consonum? *Reparatrix mundi*, dicitur Maria à S. Ildefonso in corona ex duodecim lapid. laudato, Cert. 12. cui consonant inter alios plures SS. Patres, S. Fulgentius, S. Bernardus, Andræas Cretensis, laudati loco præallegato. Igitur non est consonum rationi, quod Maria, quæ dicitur Reparatrix

 mun-

mundi,& in qua reparatio incæpit,methodo correſponderet, qua incæpit Orbis? Initium fuit Maria reparationis mundi;congruum ergò fuit,quod eius formatio Orbis correſponderet formationi, vt initium reparationis mundi,initio mundi correſponderet ,primæværque ſtructuræ Orbis.

Sergius Hierapolitanus in oratione de Natal. Virg. de Deiparæ generatione agens,ſic effatur:*Maria iam naſcitur, & vnàcum ipſa mundus renaſcitur,ac renovatur*. Si ergò ſimul cum Maria renaſcitur, & renovatur mundus,vt latè probat Velazquez,diſſert. 1.adnot.6. conſentaneum eſt,vt eius formatio Orbis correſponderet primórdiali initio, vt creationi mundi correſponderet mundi renovatio. S. Bernardus in ſerm. de B. Mar. ſic faxit:*Mariam Deus, tanquam mundum ſpecialiſsimum, ſibi condidit,quem in iuſtitia,& ſanctitate formavit*. Fortè hæccine Bernardus non dixit abſque Divina illuſtratione. Illa perpende verba,*tanquam mundum ſpecialiſsimum*. Quid ergò mirum , quod formationi naturalis Orbis,huiuſce ſpecialiſsimi mundi conſonaret formatio? Arnoldus Carnotenſis,ſerm.de ort.Virg.ſic profert:*Iuxta mundi qualitates paratur Vas Virginæum Divinis charisſmatibus, vt margaritis ineffabilitèr ornatum*. Sicut igitur in conditione Orbis ſex Omnipotens dies conſumpſit,& ſeptimus;in quo requievit,dies natalis mundi conclamatus eſt,vt obſervatum eſt Philoni in lib.de victim. per hæc verba: *Par pari addatur in æternitatis honorem,quod ſeptimus dies mundi natalis eſt*.Sic Altiſsimus ſex in Corporis Mariæ conſtructura dies degit, Die ſeptimo animam infundit,in qua requievit;& ad modum quo dies ſeptimus nuncupatus,& celebratus fuit dies natalis mundi; dies ſeptimus,dies videlicèt Sabbati,diſpoſuit Altiſsimus , quod nuncuparetur dies Mariæ,foret,vt talis,veneratus.

Ecce non detrudenda, ſed miranda harmonia inter formationem Mariæ , & Orbis conditionem iuxta Abbatiſſæ de Agreda præfatas Propoſitiones. Die Dominica Orbis incæpit formatio; die Dominicali incæpit formatio Mariæ. Sex conſumuntur dies in Orbis conditione. Sex dies conſumuntur in organizatione Corporis Mariæ. Septimo die Deus requievit. Infundendo præexcellentiſsimamMariæ Animam Corpori Mariæ organizato: quis neget quod Deus requievit in ipſa? Illinc dies Sabbati,vt dies natalis celebratur Orbis. Hinc dies Sabbati,vt dies celebratur Mariæ , Altiſsima interveniente Spiritus Sancti ordinatione,ſeu diſpoſitione,vt dies iſte dicaretur Virgini. Illinc dies ſeptimus,vt dies natalis mundi,dies fuit feſtivus, & dies gaudij. Hinc dies Sabbati fuit tanquam dies feſtivus , tanquam dies Paſchalis gaudij, Altiſsimo & cunctis creaturis. Nunquid hæccine rationi diſſonant?

Mo.

Modo Propositiones in particulari decurramus. Quo fundamento refigi potuit, quod Corporis Mariæ Conceptio peracta fuerit Dominicali die? Quis neget, quod hoc effici potuit? Hoc ex revelatione sibi facta V. non potuit asseverare Mater? Sanè vt refert S. Anselmus Epist. de Concept. ad Coepiscopos Angliæ, revelatum fuit Helbino seu Helsino Abbati, quod *Sexto idus Decembris festum Conceptionis celebrandum esset.* Si ergò potuit revelari dies festivitatis, quoad mensem, cur non dies Conceptionis Corporis quoad hebdomadam? S. Birgittæ, vt constat ex lib. 6. c. 55. revelatum fuit, quod *Hora, in qua peracta est Deiparæ Conceptio, fuit aurea hora.* Ex quo infert noster Guerra, Episc. Gadicensis, *Quod fuit prima luce.* Nativitas B. Mariæ Virginis festivis agitur ab Ecclesia solemnitatibus die octava Septembris, quia cuidam Eremitæ revelatum est, Deiparam tali die fuisse natam, vt refert S. Antoninus in opusc. B. Mariæ, cap. 6. §. 1. & inde motum fuit Supremum Ecclesiæ Caput ad festum stabiliendum. Nunquid difficilius Deum revelasse determinate diem hebdomadæ, in qua peracta est, aut Conceptio Corporis, aut Conceptio Animæ Virginis? Granadus de Concept. discurs. 2. sect. 2. Eusebius Nieremb. lib. de Concept. c. 3. noster Ill. Guerra 1. tom. disc. 2. fragm. 5. Ioannes Baptista Novatus tom. 1. de Emin. Virg. cap. 3. q. 7. Suarez, & alij plurimi ex S. Anselmo, ex Amadæo, ex Sancta Birgitta, determinarunt mensem Conceptionis Mariæ, diem mensis, imo & aliqui non dumtaxat hebdomadam, sed etiam horam. Cur ergò piè, & probabiliter non potest aliquis ipsam hebdomadæ determinare diem ob sufficientem congruentiam, qualis reverà est paritas ad formationem Orbis? Quomodo ergò refigi potuit doctrina V. Matris quoad primam, & tertiam Propositionem?

Quod corpusculum Verbiparæ Sacræ affectum fuerit anima ante octoginta dies, qui solent assignari à Physicis in corporum animatione fœminarum, vt notatur leg. Gallus, ff. de liberis, & posthumis, est omnium de hac re peragentum calculus concors. Sat sit referre, quod hoc ipsum revelatum fuit S. Birgittæ lib. 6. c. 55. & Amadæo Episc. Lausensi, cap. 4. Authores benè multi asserunt corpusculum Mariæ fuisse animatum in minori spatio temporis, quàm illud, quod assignat V. Mater, vt Granadus, Galatinus, Ambrosius Cathetinus, Ioannes Baptista Novatus, Eusebius Nieremb. plerique alij, quos recensere prolixum. Videatur, si arridet, noster Guerra supra laudatus. Et satis sit proferre, quod variegatas opiniones circa hanc materiam Theophilus Raynaudus 7. tom. p. 1. punct. 1. videns, hæccine profert: *Quandoquidem ergò fateri cogimur animationem corpusculi Virginis præter naturę vsum, ac leges, breviorem solito fuisse, ita vt cum alij fœminei*

fœtus octoginta circitèr dies ab inspecta materia ad eius animationem deposcant: hic tamen manifestum sit, vix nisi de octiduo certari posse, an sit animatione materię collectę permissum, &c. Ex his liquet quod doctrina V. Matris de organizatione corpusculi Sanctissimæ Virginis, & infusione animæ intra septem spatium dierum sit, & probabilior, & rationi conformior. Probabilior quàm sententia Authorum spatium temporis magis attenuatum, quia minus miraculum ingerit, & quia inter omnes sententias medium tenet, vitans diffusam temporis longitudinem, & brevitatem nimiam. Videtur rationi conformior ob paritatem ad conditionem Orbis, quæ septem peracta diebus est, qua ratione Pijssima Author fuit nixa. Ergò doctrina V. Matris piè, & probabilitèr poterat absolutè sustineri à quolibet, ob præfatas Authoris rationes. Igitur quo ausu, ex parte materiæ dumtaxat, potest refigi ista revelatio?

Quarta huius Propugnaculi Propositio est, *Quod dies Conceptionis Deiparę, tanquam dies festivus, & dies Paschalis Deo, & cunctis extitit creaturis.* Explanare diem eximij gaudij, per hoc quod sit tanquam dies Paschatis, vsitatissima loquutio est. Sic Pijssima Author est effata; & sic eius Propositio, (cuius sensus neminem quantumvis Aristarchum fugere videtur potuisse,) est expressa SS. Patrum, & Universali Ecclesiæ consona. Pro miranda doctrina V. Matris cum Sanct. Patribus consonantia Magnus Parens auscultetur Anselmus in Epist. de festo Concept. cap. 2. vbi sic ait: *Hæc igitur tanti Filij dignissima Parens, cum in alvo suæ Parentis naturali lege conciperetur, quis non concedat Dei sapientiam à fine vsque ad finem pertingentem cuncta implentem, cuncta regentem, novo quodam, & ineffabili gaudio Cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt profundissima, atque ineffabili iubilatione, pro sua redintegratione, quàm per illam sibi eventuram Divina, & occulta inspiratione prævidebat, perillustrasse.* Quid illustrius? Quid pulchrius? Hæccine trutines, & cum V. Propositione Matris conferas, quæsso. Consonat S. Vincentius Ferreriensis serm. 2. de Nativitate Virg. vnde Alexius à Salo in sua arte piè amandi, & colendi Deiparam, c. 17. valde laudatus in Bibliot. Virg. tom. 1. ita protulit: *Ipsum est, quod Sancto Vincentio Ferreriensi hanc sententiam extorsit, qua dixit: quo in instanti concepta fuit Virgo, eodem Hierarchias cœlestes omnes vehementèr in Cœlo, vt festis maximis solet, iubilasse.* Perpendas, flagito, illud, *vt festis maximis solet.* Nunquid comparatio non geritur cum diebus Paschatis? Ergò delirarunt hic Author, & S. Vincentius Ferreriensis? His adstipulantur S. Antoninus Florentinus in opusc. serm. de Concept. Virg. V. Bernardinus Bustius laudatus, Propugn. 2. huius Certaminis, quatenus Angelos Conceptionem Deiparæ festivis celebras-

braſſe gaudijs in Cœlis,& ſolemnitèr aſſeverant: & Buſtius ex quadam revelatione cuidam Religioſæ factæ. Tandem doctrina V. Matris Univerſali conſona eſt Eccleſiæ; ſiquidem in Officio Conceptionis Univerſalis ita Eccleſia pſallit: *Conceptio tua,Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit vniverſo mundo.* Vnde plures Sanct. Patres, & Authores plurimi hoc paſsim prædicant,hoc aſſerunt.Nec hoc gaudium Cœli, & terræ aptius iuxta patrium Hiſpanicum morem Author expromere potuit Pijſsima, quàm diem feſtivum, diem Paſchatis ad æquiparationem vſurpando.

Perſcrutemur quartæ Propoſitionis, quo fundamento confingi potuit doctrina. Et in primis auſculta Patrem Franciſcum Suarez in 3. p. tom. 2. diſp. 37. ſect. 1. litt. A. vbi ſic inquit: *Tandem in Vniverſa Eccleſia dies Sabbati in peculiarem Virginis memoriam, & honorem deſtinatus eſt; cuius rei certum initium reperire non potui. Dicitur autem incobata fuiſſe in Concilio Claramontano ſub Vrbano Secundo, ante quingentos annos, quod tamen Concilium nunc non extat.* Igitur quod Sabbatum ſit Sacratum Deiparæ, conſtat ex Univerſali Eccleſia, quæ per Officium Mariæ in Sabbato, vſum, pietatemque fidelium venerandi diem Sabbati, vt ſibatum Deiparæ, ſatis approbabit. Suppoſito autem, quod hoc ſit factum in Eccleſia Dei, quis, niſi Spiritus Sanctus, qui ei aſsiſtit, hoc diſponere potuit? Quis ergò potuit ſcire eius rationem, niſi cui ille revelavit? Aſſerit V. Abbatiſſa de Agreda ex revelatione ſibi facta, rationem fuiſſe, quia Animam Sanctiſsimæ Virginis Corpori Altiſsimus in die Sabbati infudit. Quo fundamento hæc revelatio ex parte materiæ damnanda? Nunquid hoc repugnat? Nunquid hoc Eccleſiæ Patribus, aut Theologis adverſatur? Minimè, nam iuxta Suarezium haud dumtaxat cauſa, ſed etiam talis conſecrationis initium Theologos latet. Quàm conſonum autem ſit rationi, quod infuſio animæ Mariæ, & conſequentèr eius Conceptio naturæ, & abſoluta formatio, fuerit ratio, ex ipſis affatim terminis liquet; & etiam ex ipſa paritate Orbis, cuius dies ſeptimus, qui Sabbatum fuit, celebratus eſt iuxta Phylonem, vt dies mundi natalis, in quo die Deus requievit ab vniverſo opere, quod patrarat.

Ad vltimam huius Propugnaculi accedamus Propoſitionem. In primis non poſſum non animadvertere, quod in iſta, & in antecedenti Propoſitione, textus, qui iacet in Cenſura, ſcatet falſitatibus; nam textus primæ Propoſitionis relatus in Cenſura inquit, *Quod propter Myſterium Conceptionis ordinavit Spiritus Sanct. quod Eccleſia diem Sabbati Virgini ſacraret.* Vener. autem Mater dicit, *Quod propter Conceptionis Myſterium Spiritus Sanct. diſpoſuit, vt dies Sabbati eſſet dies dicata Virgini in Eccleſia Dei.* Hæccine verò loquutio aptior eſt, quia non ſup-

po-

ponit talem libationem provenisse ex aliquo speciali Universalis Ecclesiæ decreto, vt videtur supponere textus Censuræ: vnde Propositio Pijssimæ Authoris aptissima est, & communissima, sive talis dici libatio ex Concilio Claramontano, sive ex vsu dumtaxat, pietateque fidelium exordium cœperit. In alia Propositione textus mutilatus, & truncatus est, vt iacet in Censura; ibi enim V. Mater præter supra præfatos Angelos, alios mille in custodiam Virginis designatos, videtur asserere. Hoc aut est repugnans textui, & scriptis V. Matris, quia de mille Angelis, supra relatis, & designatis, modo loquitur, quos Sanctissimam Virginem semper habuisse protegentes, adamussim testatur. His præsuppositis, quæ evidentèr liquent ex vero textu, quid qęsoCensor in haccine Propositione damnat? Si quod mille Angeli destinati fuerint ad Mariæ protectionem à primo suę formationis momento? Bis eandem doctrinam damnat. Quid irrationabilius in Censore, quàm eandem Propositionem bis damnare? Enim verò quàm consentanea sit, & Patribus, & rationi, vt iacet in scriptis V. Matris, ex Propugnaculo patet antecedenti; vbi Deiparam à primævo suæ formationis instanti ingentem sortitam fuisse multiplicitatem Angelorum in custodiam, & protectionem haud perfunctoriè dilucidavimus. Patribus ibi relatis addito S. Bernardum in sermone, qui inscribitur laus Mariæ, vbi ita fatur: *Sed innumerabilium Sanctorum Spirituum militiam delegatam nullatenus ambigimus, vt custodirent lectulum Salomonis*, intellige Mariam: vbi sese offert dignum miratu, Censorem, Pijssimam Authorem, mille Angelos in custodiam, & protectionem Sanctissimæ Virginis affirmantem, detrudere, cum S. Bernardus, *innumerabiles multitudines*, ad hanc custodiam consignatas haud propallare dubitaverit. Si verò Censor in tali Propositione, quod corpusculum Virginis in primordijs suę animationis fuerit ad instar apis exiguæ, refigat; qua ratione, quæsso? Nunquid volebat quod esset ad instar corporis viginti annorum? Si Pijssima Author fatur de corpusculo in instanti animationis primævo, maior exiguitas, aptior proportio: septem dumtaxat dierum, nondum completorum, agebat ętatem iuxta doctrinam Pijssimæ Authoris. Aptè igitur ipsum in quantitate sic exiguum Author Pijssima fuit contemplata, & quoad rationem probabilius, quia quantum exiguitatis ponit, supposità tàm celeri organizatione; tantum adimit miraculi. Medicos auscultet Censor, & sciet, an quantitas fætus septem dierum sit tantæ, vt ipse videtur velle, quantitatis. Sed quidquid sit de hoc, in hac Propositione asserta ex revelatione, quid repugnans? Quid doctrinæ Ecclesiæ, Theologorum adversans, aut Patrum?

REFERUNTUR ALIÆ SEPTEM PROPOSITIONES.

NUm.227. *Ipsa egit gratias Deo humillime vnàcum profundis inclinationibus corporeis, quas protinus effecit in sinu Matris suæ, & hoc corpore illo tàm exiguo.*

Num.231. *Dominus manifestavit ei in illo instanti* (Conceptionis) *Angelos, quos illi donabat in custodiam; & ipsa illos vidit, agnovit, seque cum illis gessit benevolè.*

Num.231. in fine: *Omnipotens disposuit, vt ipsa cum cognitione, & dolore, quem habebat de casu hominis, fleret, & vsque ad effusionem lacrymarum perveniret in sinu Matris suæ.*

Num.225. *Et ipsa plusquam Beata Infantula in ipso tempore* (quo egressura erat ex alvo Matris suæ) *rapta fuit in ecstasim altissimam, in qua, cum absorta esset, ab omnibusque operationibus sensibilibus abstracta, ipsa egressa est in mundum, quin hoc sensibus percepisset.*

Num.229. *In instanti, in quo orta est Regina nostra Maria, misit Altissimus S. Archangelum Gabrielem, vt annuntiaret SS. Patribus Limbi banccine notitiam, tàm iucundam ipsis.*

Num.330. *Angeli disposuerunt novam, & solemnem Processionem efferentes cum Canticis incomparabilis lætitiæ veram Arcam Novi Testamenti, vt pro aliquo foret spatio, non in domo Obcdedon, sed in Templo superni Regis Regum, & Domini Dominantium.*

Num.334. *Eodem gaudio, & veneratione eadem* (Angeli) *posuerunt ipsam* (*Mariam*) *in brachijs S. Annæ, quam latuit etiam eventus iste, & absentia Natæ suæ,* (raptę in Cœlum secundum corpus, & animam) *quia vnus ex Angelis designatis ad custodiam, locum eius occupavit, corpus aëreum ad hunc effectum assumens. Præterea dum Divina Infantula in Cœlo stetit Empyreo, eius Mater Anna rapta fuit in ecstasim altissima contemplationis non per breve tempus.*

PROPUGNANTUR.

HAsce omnes Propositiones Censoria concutere virgula, est, prædicare Pijssimam à tota Censura Authorem absolutè immunem. Extat constans SS. opinio Patrum, asseverantum S. Ioannem Baptistam à primordiali, in quo Sanctificatus est in vtero Matris suæ momento, vsu fuisse rationis suffultum. Ita sentiunt Hieronymus epistol. 7. ad Letam. S. Augustinus lib. 2. de consensu Evangelist. c. 15. & lib. 3. de mirabilibus Sacræ Script. c. 1. (si opus illius est) S. Ambrosius lib. 1. in Lucam. S. Petrus Chrisologus serm. 88. S. Chrisostomus homil. 1. in Luc. S. Leo Papa serm. 10. de Nativitat. & alij benè multi laudati à Suarez infra citandus. Tùm sic; sed iuxta Sanct. Patres om-

nia privilegia gratiarum Sanctis, vel alicui ex illis concessa, negata Deiparæ, non est fas suspicari, vt docuimus Certam. 10. Propug. 2. & Cert. 13. ex S. Bernardo epist. 27. & ex plurimis Sanct. Patribus, quibus addito S. Thomam 3. p. q. 27. art. 1. vbi ait: *Rationabiliter creditur, quod illa, quæ genuit vnigenitum à Patre, plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus alijs maiora privilegia gratię accepit.* Arnoldum Carnotensem lib. de Laud. Virg. ita effantem: *Maria creaturis constat omnibus, quidquid enim Creator singulis distributor iustus contulit, Mariæ adornandæ congessit.* Itaque passim sentiunt ex communi calculo Patrum Theologi. Ergò vsus rationis præcisè concedendus est Mariæ à primo instanti suæ Sanctificationis: sed hoc instans iam nullus potest negare, quod fuerit primum instans animationis: ergò Mariæ concedendus est vsus rationis à primo suæ animationis momento. Ita sentiunt de facto evenisse, quotquot Authores asserunt, Mariam vidisse Deum intuitivè in primo animationis instanti; quorum non paucos Certam. 10. Propugn. 2. retulimus. Paritèr hoc asserunt, seu consequentèr asserere debent quotquot Mariæ tribuunt iustitiam originalem, à primordiali suæ animationis momento, quorum aliquos tradidimus Certam. 11. quibus addito Doctissimum Caietanum in 3. p. q. 27. art. 3. B. Virginem in actu vsus rationis semper durasse affirmant S. Bernardinus Senensis, serm. 51. de B. Virg. cap. 2. art. 1. & Suarez in 3. p. tom. 2. disp. 4. sect. 7. §. Dico quarto. Deindè ita sentiunt quotquot Theologi affirmant, meritum Virginis fuisse continuum, quos tradidimus Certam. 12. Tandem quid, sive in suggestibus, sive in exedris, in ore sive Concionatorum, sive Theologorum, frequentius adnat, quàm quod Sanctissima Virgo vsum rationis à primævo suæ formationis instanti obtinuit?

Ex his haud dumtaxat quatuor primæ Propositiones huius Propugnaculi incolumes prorsus eluunt, & verisimiles; sed etiam tres p[rimæ] omninò innegabiles apud pios Deiparę cultores. Nam si Dei[para] in primo animationis momento vsum obtinuit rationis, nunqui[d in]grata fuisset, vt Deo Maximo Omnipotenti, tàm miris eam cumu[lanti] beneficijs, non egisset gratias? Quo fundamento hæc perfectio denegunda Deiparæ: Sed alijs omissis, qui hoc asserunt expressè, audito Sapientissimum Patrem Alphonsum Orozco, Augustinianum, in annot. in Cantic. ad illud, *osculetur me osculo oris sui*, sic de Maria effantem: *Sanè ex vtero Matris suæ subindè, vt absque peccato concepta fuit, gratias Deo Optimo egit pro dono creationis sibi impenso, necnon pro singulari privilegio accepto, videns se immunem ab omni labe peccati.* Quid ad rem pulchrius? Ecce in terminis Propositio, vt extat in textu V. Matris. In hoc ipsum coincidit S. Bernardinus Senensis tom. 4. serm. 4. de Conceptione, art. 1.

Sic

Similitèr quod B. Virgo in illo primo instanti vsus rationis cognoverit Angelos, quid vetat? Quo fundamento hæc præcellentia deneganda Deiparæ? Vt Regina concepta fuit Angelorum; Reginam, vt iam Reginam, nunquid non decet cognoscere servos? Sanè hanc Propositionem docent Authores benè multi. Legatur Ioannes Baptista Novatus tom. 2. de Emin. Virg. c. 1. q. 3. Noster Guerra, Episcopus Gadicensis, tom. 2. tract. 2. discurs. 1. fragment. 1. & sequentibus, præsertim ibidem disc. 2. fragm. 2. in quibus locis ex Patribus, & ex Theologis perfectissimam Deiparæ cognitionem in primo momento, quoad naturalia, & supernaturalia pro dignitate dilucidat. Et sat sit producere, quoad præsens attinet, testimonium S. Bernardini Senensis suprà laudati, art. 1. c. 2. *In prima Sanctificatione* (inquit de Maria) *quantum ad rationem, & intellectum, tanta ei sapientiæ claritas à Deo superinfusa, quod perfectè intelligebat creaturas, & Creatorem, & Spiritus, & omnia bona paritèr amplectenda.* Quid aptius? Hoc autem supposito, quod receperit Angelos cognitos gratissimè, seu quod cum illis se gesserit benevolè, quid vetat? Nunquid spretura eos foret?

Quarta Propositio consona est multorum sententiæ; qui Mariam in vtero suæ Matris in altissima contemplatione raptam asseverant. Sat sit auscultare S. Bernardinum Senensem loco suprà laudato, vbi sic profert: *Secundum quosdam fuit tunc, scillcèt, in vtero Matris, in sublimiori contemplationis statu, quàm vnquam fuerit aliqua creatura humana in perfecta ætate.* Quid ergò absonum? Quid temerarium in hoc, quod cum egressa fuerit ex vtero Matris suæ, in altissima contemplationis ecstasim prodierit rapta?

Tertia Propositio: videlicèt, quod doluerit de lapsu hominis vsque ad fusionem lacrymarum in vtero Matris suę, supposito, quod vsum obtinuerit rationis, & præsertim supposito, quod perfectè creaturas agnoverit, & Creatorem, vt asseruit S. Bernardinus, & dilucidant Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 19. sect. 3. Ioannes Novatus, & Ill. Guerra supra laudati, Dionysius Richelius Cantic. 5. quibus favet Albertus Magnus super missus est, cap. 132. & D. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 18. §. 2. quo fundamento convelli valet? Nunquid difficilius est dolere in vtero Matris vsque ad lacrymas, quàm exultare vsque ad motus corporeos, quod de Ioanne dicitur iuxta illud Luc. 1. *Exultavit infans in vtero*? In Concilio Basiliensi sess. 43. *Profertur, Ioannem in vtero agnovisse Christum.* Unde Ecclesia in eius Officio canit: *Senseras Regem thalamo manentem*: ergò Dei Genitrici in vtero Matris suæ cognitio Christi venturi in carne passibili pro lapsu hominis non deneganda est: quid ergò mirum, quod de peccatis hominum doluerit? Et hoc vsque ad effusionem lacrymarum, quid vetat? Sed quid immoror? Quanta erga Deum, & proximum Sanctissima Virgo in vtero Matris suæ

 à pri-

à primo momento animationis, quod fuit primum suæ Sanctificationis instans, charitate arserit? Nostrum Cherubin Senensem ausculta, mirabilitèr quoad præsens attinet enodantem. Igitur serm. supra laudato, art. 1. cap. 3. sic ait: *Totus impetus primę Sanctificationis mentem huius Sacratissimæ Virginis impellebat ad hoc desiderandum* (scilicèt Incarnationis, & Redemptionis Mysterium) *pro salute omnium electorum.* Quid ergò mirum quod doleret de lapsu hominis vsque ad effusionem lacrymarum? Sed perpendas, quæsso, eiusdem sancti verba sequentia: *Idcò nobis* (concludit ex supradictis) *inexpressibile est illud fervidum desiderium, & languentis orationis suspirium, quo suspirabat ad Deum, vt Filium suum mittere dignaretur ad nostram assumendam naturam.* Illa verba: *Languentis orationis suspirium, quo suspirabat ad Deum*, scilicèt, in vtero Matris suæ, cum præsenti Propositione V. Matris conferas, quæsso. Ergò talis Propositio V. Matris damnanda, an millies miranda eius doctrinę harmonia cum Sanctorum Patrum doctrina?

Quinta Propositio nulla ratione configi valuit. Ecclesia Vniversalis psallit, quod *Nativitas Mariæ gaudium annuntiavit vniverso mundo*; hinc pro gaudio vniversali Cœli, Terræ, & Limbi in Nativitate Mariæ asseverantèr sese frequentissimè Authores gerunt. Quid ergò in hac Propositione resigitur? præsertim cum hoc ipsum dicatur de Conceptione Mariæ ex S. Anselmo in Epist. de Concept. c. 2. & ex alijs laudatis Propugn. 4.? Sanè si Nativitas Mariæ, vt constat ex Patribus, & Ecclesia gaudium, annuntiavit vniverso mundo, & consequentèr Limbo: ergo Patris Limbi Mariam esse natam cognoverunt. Quid vetat, quod Nuntius fuerit Gabriel? Ipse annuntiavit Incarnationem, vt constat ex Scriptura. Ipse annuntiavit B. Annæ Conceptum Virginis, teste Pantaleone apud Metaphrastem in orat. de Sancto Michaële, quod etiam docuit V. Mater. Ipsemet Archangelus Gabriel destinatùs est ad legationes gerendas Mariæ. Consequens ergò omninò videtur, quod ipsemet Patribus Limbi iucundissimam notitiam Nativitatis Marię annuntiasset. Ergò ex hac parte piè, & probabilitèr poterat hoc à quocumque Authore dici. Quomodo ergò ex parte materiæ resigitur, cum ex Divina revelatione asseritur? Si autem Censor insistit in procellando Propositionem ex eo præcisè, quod asseveret, Nativitatem Sanctissimæ Virginis Patribus Limbi fuisse nuntiatam: Legat S. Birgittam lib. 6. c. 56. vbi dicitur de Natali Mariæ: *Amici verò Dei, qui in longa erant expectatione, dicebant, inspirante eis Deo, cur amplius dolemus? Gaudendum potius est nobis, quia nata est lux, quia illuminabuntur tenebrę nostræ, & desiderium nostrum perficietur*: ergò damnanda ex parte materiæ in lib. V. Abbatissæ de Agreda revelatio, quæ à Concilio Basiliensi, & à tot Summis Pontificibus extat approbata? O mira Censura, de examine revelationum meritissima!

Sexta

Sexta Propositio, quantum ad raptum Infantulę Mariæ secundum Corpus, & animam pro brevi spatio in Cœlum Empyreum spectat, ex Certamine 10. vindicata nitet. Quod hiccine fuerit ministerio Angelorum raptus, quid vetat? Imo rationi videtur consentaneum, nam cum Sanctissima Virgo assumpta fuit in Cœlum magna Angelorum caterva comitante, quam non insuetum Authoribus vocitare Processionem, ducta fuit. Videatur S. Athanasius serm. de Sanctissima Deipa. S. Damascenus orat. 1. de dormit. Virginis in fine, & orat. 2. per totam. D. Anselmus de Excellent. Virg. c. 8. Sophronius Epist. de Assumptione, S. Antoninus 1. p. tit. 6. §. 1. Qui Patres, & alij plurimi piè credunt, non dumtaxat omnes Angelorum, & Sanctorum Choros, verumetiam ipsummet Christum cum ingenti gloria, & gaudio secum Sanctissimam Virginem, è terra in Cœlum Empyreum duxisse. Igitur ex suppositione, quod Sanctissima Virgo, statim ac nata est, pro aliquo brevi spatio rapta fuerit corporalitèr in Cœlum Empyreum, quid verosimilius, quàm quod ministerio Angelorum, seu Angelis comitantibus fuerit rapta? Hunccine Angelorum comitatum ad Mariam sublevandam vocitavit V. Mater Processionem. Nunquid hæc loquutio invisitata? Quid frequentius in historijs animarum contemplatione maximè abditarum lectitatur? In memoriam veniat illa memorata Processio Virginum, seu Angelorum, quam S. Clara postremos iam exhalatura spiritus intuita fuit.

Vltima Propositio quoad raptum Deiparæ in Cœlum, vt superius dixi, Propugnata manet Certam. 10. Unde quod hic Censor refigit, vt aliquid novum configere dicatur, est, quod Angelus ad supplendam Mariæ raptæ transeuntèr in Cœlum absentiam, Virginei induerit formam corpusculi. Quanta autem Angelico Præceptori, eiusque celeberrimæ Scholæ in haccine contrudenda Propositione iniuria irrogetur, neminem debet pręterire Theologum. Legitur in Breviario Romano de S. Ambrosio, quod simul fuerit Mediolani, & in Civitate Turonensi funeri S. Martini adfuerit. Quid simile de nostro S. Antonio Paduano, de S. Francisco Xaverio, & de alijs Sanctis in Chronicis satis probatis legitur. Schola Scotica cum suo Antesignano in 4. dist. 10. q. 1. hasce Historias propriè admittit, existimans hosce Sanctos fuisse verè, & realitèr simul præsentialitèr per propriam existentiam circunscriptivè in duplici loco. Schola Thomistica cum suo Sancto, & verè Angelico Pręceptore in 4. dist. 10. q. 2. & alibi, hunccine dicendi modum non amplectitur: vnde asserit, quod in his eventibus Sanctus fuit circumscriptivè præsentialitèr in vno loco, & quod in alio aliquis Angelus formam corporis illius Sancti induens eiusdem absentiam supplevit. Iuxta hunccine dicendi modum Pijssima Author effata est, asserens, quod vnus Angelus ex designatis ad custodiam, formam corpusculi Sanctis-

simæ Virginis, raptæ transeuntèr in Cœlum, induens; eiusdem absentiam supplevit. Ex suppositione raptus, quem modo non refigit Censor, siquidem iam erat Censura confixus, art. 10. vbi extat à nobis vindicatus, in hoc modo dicendi quid absonum? Quid temerarium? Quid nostratem Orthodoxam Religionem contemptui Hæreticorum exponens?

PROPUGNACULUM VI.

REFERUNTUR ALIÆ SEX PROPOSITIONES.

NUm. 335. *Octo peractis diebus post Nativitatem Magnæ Reginæ multiplicitas pulcherrimorum Angelorum descendit de Cælo: & Angeli portabant scutum, in quo insculptum erat Mariæ nomen irradians, & splendens.*

Num. 362. *Dum* (Angeli ex nongentis destinatis ex novem Choris ad protectionem Mariæ) *apparebant visibilitèr, obtinebant formam adolescentis singularis pulchritudinis, & appacibilitatis.*

Num. 365. *Præter hoc habebant singuli caput redimitum sertis pretiosissimorum florum, qui odorem suavissimum exhalabant.*

Ibidem post initium: *Gerebant etiam in manibus suis palmas varietate, & pulchritudine contextas.*

Ibidem post medium: *Gerebant in pectoribus quoddam insigne, & signum, quod intelligemus per similitudinem ad insignia, vel signa Ordinum Militarium, ast habebant emblema ita proferens: Maria Mater Dei.*

Num. 372. *Hi Angeli* (scilicèt octodecim ex mille designatis) *apparebant Mariæ Sanctissimæ admirabilitèr pulchri, gerentes pro ornatu plurima insignia Passionis, & aliorum Mysteriorum Redemptionis, specialitèrque vnam Crucem in pectore, & alteram in brachio, vtramque singularis pulchritudinis, & refulgentis splendoris.*

PROPUGNANTUR.

IN his omnibus Propositionibus perpendas quæsso quid repugnans? Quid asseveratum, Ecclesię, aut Sanct. Patribus, aut Theologis contranitentibus? Quid nostratem Orthodoxam contemptui Religionem Hæreticorum exponens? Quid non consonum contemplationibus animarum Sanctarum vitæ contemplativæ abditissimarum, imò & visionibus, quas ipsa Sacra Scriptura refert, Angelorum? In primis non possum non mirari revelationum V. Matris cum doctrina Sanct. Patrum, abhinc tot sæculis tradita, consonantiam eximiam. Primam huius Propugnaculi Propositionem cum S. Ioanne Damascæno orat. 1. de Nativit. conferas, quæsso. Præter multitudinem Angelorum destinatam à primævo animationis momento in protectionem Deiparæ, quam multitudinem ex expressis testimonijs Sanctorum Patrum præsertim Ber-

nar-

nardi, Anselmi, & S. Bernardini, suprà demonstravimus, V. Mater in prima huius Propugnaculi Propositione profert, quod octo peractis diebus postquam Maria orta est, descendit è Cœlo ad domum Mariæ multitudo Angelorum. Nunquid hoc non videtur in his S. Damasceni exprimi verbis: *O Sanctissima Filia, quæ materni vberis lacte aleris, & ab Angelis vndique cingeris!* In reliquis Propositionibus de multitudine mille Angelorum designatorum in protectionem V. effatur Mater. Unde in his omnibus Propositionibus, quod Censor respuit, est eorum apparitio corporalitèr cum præfatis signis, & insignis. In primis Angelos apparere corporalitèr, quid novitatis, aut delirij? Abrahamo non apparuere? Non apparuere Tobiæ?

Apparuere cum signis, & insignijs. Quid frequentiùs, quàm similes apparitiones in Historijs Sanctorum, & Sanctarum legitur? Exempla petantur à Scriptura Sacra infallibili veritatis organo. Intuitor modum quo Ioannes cap. 10. Apoc. vidit Angelum: *Et vidi*, inquit, *alium Angelum fortem descendentem de Cœlo amictum Nube, & Iris in capite eius, & facies eius erat vt Sol, & pedes eius tanquam columna ignis, & habebat in manu sua libellum apertum.* Nunquid apparitio Angelorum, quam refert V. Mater præcisè ex parte materiæ difficilior? Quid noster diceret Censor, si Pijssima Author describeret, Angelum apparentem Mariæ omnigeno modo, quo Ezechiel cap. 40. describit: *Ecce vir*, inquit, *cuius erat species, quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius, & calamus mensuræ in manu eius.* Et Daniel c. 10. *Vidi, & ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius accinti auro obrizo, & corpus eius quasi chrysolitus, & facies eius velut species fulguris, & oculi eius vt lampas ardens, & brachia eius, quæ deorsum sunt, vsque ad pedes, quasi species æris candentis, & vox sermonum eius, vt vox multitudinis.* Ex his prorsus innegabilis manet possibilitas apparitionum, quas V. Mater refert: & hinc apparet valdè verisimilis, quia si vt sæpè sæpius docuimus ex principio inconcusso Patrum, & Theologorum cum S. Bernar. epist. 174. *Illud quod vel paucis mortalium constat esse collatum, fas certè non est suspicari tantæ Virgini esse negatum:* ergò frequentes Angelorum forma indutorum corporali, apparitiones, & colloquutiones fas non est suspicari Sanctissimæ fuisse Virgini denegatas. Consequentia videtur recta, quia hoc constat aliquibus mortalium, imò plurimis fuisse concessum, & deinde in hoc nullum potest assignari inconveniens. Quo ergò fundamento Sanctissima Dei Genitrix ab hoc privilegio, seu ab hac præcellentia abdicanda est?

Supposito verò quod Sanctissima Virgo hisce Angelorum forma indutorum corporali apparitionibus fuerit functa, prorsus apparet rationi consentaneum, quod apparitio eorum fuerit in forma pulcherrima, & præcellenti. Nunquid Angelus Gabriel non dicitur in Annun-

tiatione Sacratissimi Incarnationis Mysterij præcellenti, & pulcherrima adolescentis forma Sanctissimæ Mariæ apparuisse? Pulcherrimos describit Pijssima Author Angelos apparentes. Nunquid refigenda, quia cœlestes Spiritus non describit deformes? Quis vnquam Angelos bonos ausus depingere est fædos? Habebant signa Passionis. Meminerit Censor illius Apoc. c.7. *Vidi alterum Angelum habentem signum Dei vivi.* Gerebant in pectoribus quædam insignia. Meminerit Censor quod cap. 15. Apoc. *Visi sunt Angeli præcincti circa pectora zonis aureis.* Sed neutiquam in his immorandum, quia ex suppositione apparitionis Angelorum corporalitèr, prorsus rationi consentaneum apparet, quod illa insignia, aut similia sumpserint, tùm ad ornamentum; tùm ad mysteria Passionis, & Redemptionis designanda. Revelavit Deus V. Matri, quod fuerint peculiaritèr illa; quid in hoc absonum, vel temerarium? Haud paucę in revelationibus S. Birgittæ, S. Angelæ de Fulgino, S. Gertrudis, & aliarum Sanctarum leguntur similes apparitiones.

PROPUGNACULUM ULTIMUM.

REFERVNTVR SEX VLTIMÆ PROPOSITIONES.

NUm. 377. *Si ipsa* (Sanctissima Virgo) *non sit loquuta à Nativitate sua, non fuit quia non potuit, sed quia noluit.*

Num. 378. *Lex silentij dispensata fuit respectu Angelorum designatorum ad custodiam, & respectu orationis vocalis, quando Virgo ad Dominum orabat in solitudine.*

Ibidem ante medium: *Sed Mater eius Sancta Anna nunquam eam audivit fantem, nec agnovit, quod in tali ætate loqui valeret, & ideò aptius percipitur quod silentium in primis octodecim mensibus infantiæ fuit virtus.*

Num. 399. *Ipsa* (Sanctissima Virgo ante ætatem trium annorum) *pluries conabatur exercere humilitatis opera, vt mundare, & verrere domum suam, & quia hoc non permittebatur ei* (à Parentibus) *hoc facere tentabat sola existens; & tunc Sancti Angeli ei assistebant, & eam adiuvabant, vt in aliqua re fructum reciperet humilitatis suæ.*

Num. 400. *Cum capisset loqui, rogauit humilitèr Matrem suam, vt non indueret eam veste sumptuosa, aut polità; sed potiùs grossa, paupere, & ab alijs portata, (si fieri posset) & coloris cineritij, quali colore modò vtuntur* Religiosæ S. Claræ.

Num. 401. *Ipsa* (Maria) *permisit se vestiri ea veste, quam eius Mater illi donavit. Attamen vestis in colore, & forma fuit, sicut Regina postularat, similis habitibus devotionis, quibus induuntur pueri.*

HÆccine Propositiones, quò minoris momenti sunt, eò faciliori calamo vindicantur. In ipso textu V. Matris extant haud debilibus rationibus suffultę. Quo textu prævisо, statim sese offerunt rationi consentaneas: nàm vt docuit V. Mater, & receptissima tenet Theologorum opinio, Dei Genitrix à primordiali suæ animationis instanti, vsum fuit rationis potita. Hinc docet V. Mater, quod si Sanctissima Virgo à sua non sit Nativitate effata, hoc minimè fuit quia non valuit, sed quia noluit. Sanè maius beneficium est vsus rationis à primævo animationis momento, quàm expeditio, & vis organorum ad loquendum statim post Nativitatem. Supposita ergò concessione primi beneficij, secundum cur Dei Genitrici denegandum? Censor primum annuere debet, vtpotè sententiam in ore ferè omnium Concionatorum, & Theologorum adnantem: & de facto suffragari videtur, siquidem talem vsum rationis à primævo animationis instanti, adamussim per Pijssimam asseveratum Authorem, non contrudit. Quo igitur fundamento secundum damnat? Nunquid hęc expeditio organorum, & vis naturalis ad fandum non cedit in maiorem perfectionem Sanctissimę Dei Genitricis recens natæ? Nunquid regulis Fidei opponitur? Nunquid huic beneficio Sanct. Patres refragantur? Minimè, imo suffragantur; quia à calamo ferè omnium mittitur illa Propositio S. Thomæ de Villanova serm. 2. de Nativit. Virg. aut æquivalens, vt constat ex Certamine 6. *Vt intelligas nihil gratiæ, aut perfectionis, aut gloriæ, quam animus in pura creatura concipere potuit, defuisse.* Illa autem expeditio organorum, & vis ad loquendum Sanctissimæ Virginis, recens natæ, quis neget, quod perfectio sit?

Deinde principium est Patrum, & Theologorum à nobis sæpè replicatum, quod illud, *Quod vel paucis mortalium constat esse collatum, fas certè non est suspicari tantæ Virgini esse negatum.* Ex S. Bernardo epist. 174. Sed Ioannes Baptista impedimenta nescivit infantiæ, vt docet S. Anselmus lib. 2. in Luc. cap. de mora Mariæ cum Elisabeth, & cap. sequenti, & cap. de prophetia Zachariæ, vbi faxit: *Zachariam ideò loquutum esse ad Filium: & tu puer, &c. quia cum audire poterat, qui salutationem Mariæ audierat.* Hoc ipsum docuerat Origenes homil. 8. & 9. in Luc. Si ergò Baptista nescivit tenebras, & impedimenta infantię; ergò Mariæ non denegandum hoc privilegium. Si autem dicatur, quod Maria infantię nescivit impedimenta, cur negandum eam loqui potuisse à Nativitate sua? Hoc privilegium modo longe perfectiori concedendum Mariæ, quàm Baptistæ. Hinc quod Maria à Nativitate sua loqui potuit sufficientissimè deducitur, pièque & probabilitèr his, & alijs fundamentis, quæ prætereo, potest hęc opinio defendi à quolibet Theologo.

V. Ex

Ex his incolumis omninò micat prima Propositio, quia concessa Mariæ organorum expeditione, & via ad loquendum, si loquuta non sit, non est quia non valuit, sed quia noluit. Secunda paritèr immunis nitet, quia si expeditionem organorum, vimque obtinuit naturalem ad loquendum, & effari valuit, & silere potuit. Vnde & potuit colloqui cum Angelis, & orare vocalitèr ad Deum, cum existebat sola. Et potuit ita silere respectu aliorum, vt nec Mater eius ipsam auscultasset fantem; quod attinet ad tertiam Propositionem. Hic potiùs, quàm refigendum, ingenium Authoris erat mirandum, siquidem omnia hæc sunt valdè consentanea rationi. Silere in illis primis octodecim mensibus, ob virtutem, & meritum silentij, & quia videtur rationi consonum Deum hoc disposuisse silentium, ad regendum sacramentum, quod in ipsa operaturus erat. Colloqui, hoc non obstante, cum Angelis, rationi est consentaneum ob Mariæ instructionem: & cum constet aliquibus infantulis ante ætatem loqui requisitam, hinc etiam hoc privilegium loquendi aliquoties Virgini non denegandum. Orare etiam vocalitèr in maiorem Virginis præcellentiam cedit.

Hinc etiam cæteræ Propositiones evadunt immunes. Et sanè S. Antoninus 1. part. tit. 4. cap. 6. §. 10. de tertio ætatis anno Mariæ, profert ex S. Hieronymo: *Nihil illi tùm defuisse ad perfectam ætatem*. Quid ergò mirum, quod ante ætatem trium annorum pluries opera humilitatis exercere conata fuisset, & consequentèr mundare, & verrere domum? Quo non extollunt Sanct. Patres humilitatem Mariæ? Videatur S. Bernardinus serm. 4. de Virg. Concept. cap. 3. art. 1. vbi agens de prima sanctificatione Mariæ, subdit: *Sic à principio mentem eius in abysso humilitatis fundavit, quod sicut nulla post Filium Dei creatura tantum ascendit in gratiæ dignitatem; sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis profundæ*. Et prius S. Ildefonsus de part. Virg. appellavit Mariam, *humilitatis abyssum*. Cur ergò rationi non consentaneum, quod Sanctissima Virgo, quæ à primo momento habuit vsum rationis; quæ à Nativitate fari valuit, ante trium annorum ætatem opera humilitatis profundissimę; & consequentèr everrere peragere tentasset. Quod Sanctissima Virgo vsque ad Filij sui Conceptionem à tertia vsque ad meridiem alicui operi vacasset, revelatum fuisse S. Birgittæ, refert Canisius lib. de Beata Maria, c. 12. & 13.

Quod dum fari cæpit, vestem petijsset pauperem, & humilem, quid vetat? Nunquid vestes perpolitas, & superbas huiusce sæculi humilitas profundissima Sanctissimæ Dei Genitricis optaret? Talis petitio perfectio Virginis est. Cur deneganda? Vt aiebat S. Bernardus homil. 2. super missus est, *Quid aliud est Virginis vita, nisi expressum quoddam vitæ*

Chri-

Christi exemplar? Vestes pauperes, & humiles gesturus erat Sanctissimus eius Filius. Rationi consentaneum, quod ipsa pauperi, & despectæ inhiaret vesti, & ideo coloris cineritij, qui arguit mortificationem, & humilitatem. Hunccine explicuit V. Mater colorem per similitudinem ad colorem habitus Monialium S. Claræ. Quid inde? Nunquid habitus harum Monialium non est coloris cineritij; aut non potuit esse talis coloris vestis per Sanctissimam Infantulam Mariam efflagitata? Ne Censor hasce, & alias Propositiones de vita activa Sanctissimæ Dei Genitricis, quas profert V. Mater, miretur, Sancto Ambrosio de vita activa Virginis, lib. 2. Virginum aures præbeat, ita effanti: *Quid ergò exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam. Alterum vltrà naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse.* In quibus perpendenda illa verba: *Officiorum redundantiam vltra naturam superfuisse*, quæ Propositioni Pijssimæ Authoris asseveranti, quod ante ætatem trium annorum opera humilitatis Sanctissima Virgo tentavit exercere, satis consona apparent. Et deindè si Sanctissima Dei Genitrix tàm exactè se dedit mortificationi, cur dum iam fari cæpisset, vestem pauperem, humilem, & coloris pœnitentis humillima, & Sanctissima Infantula non efflagitaret?

Quantum ad vltimam Propositionem spectat, quod Sanctissima Virgo, petitione non obstante sua, in consilio se reliquerit suæ Matris, quid conformius præstantissimæ obedientiæ, qua vt V. Mater faxit semper exactissimè suæ obtemperavit Matri Annæ? Quod vestis aliquam cum habitibus devotionis, quibus solent pueri vestiri, similitudinem gesserit, quis improbabit? Consentaneum videtur rationi, quod quæ omninò erat dicata Deo, veste indueretur simili illi, qua induendi erant, seu iam induebantur infantuli Deo libati. Ex his constat omnes has Propositiones esse prorsus immunes à Censura fuisseque dumtaxat ex libidine damnandi refixas, non solùm, quia non repugnantes sunt, & minimè adversantes doctrinæ Ecclesiæ, Theologorum, aut Patrum; sed etiam quia licet aliquas authoritate expressa comprobare difficile sit, tamen sufficientèr deducuntur ex doctrina Theologorum, & Sanct. Patrum, & satis consentaneæ rationi, quod sat est iuxta illam famigeratam maximam S. Augustini de vera Religione, quem laudat, & sectatur Albertus Magnus in præsuppositionibus ad Mariale: *Quærendum ratione, quid consentiat veritati, fietque ipsa veritas authoritas, sine qua, nec est, nec valet authoritas.*

COROLLARIA.

Ex dictis non poterit non quilibet sanæ mentis existimare hanccine Censuram Kœnnitium, & Centurias Magdeburg. sapere. Ratio videtur evidens, quia omnes revelationes istius articuli, vt constat

ex toto Certamine, nec levitèr tangunt fidem, nullamque continent doctrinam, quæ non sit vel Sanctorum Patrum, & Theologorum expressa, vel saltim Sanctis Patribus, pijsque, & probabilibus opinionibus probatissimorum Theologorum circa Sanctissimam Dei Genitricem abundè consentanea, & semper consona rationi, nulloque modo, nec in se absolutè, nec vt subsunt doctrinæ Patrum, & Theologorum, repugnantes. Ergò manifestè sequitur, quod ideò dumtaxat Censor omnes Propositiones huius articuli configit, quia ipse absolutè omnigenas revelationes novas privatas respuit, & aspernatur. Consequentia liquet, quia cum in tota Censura nec memoriam faciat examinis ex parte formæ, aut Censor fatendus in meridiana luce cæcutiens, aut fatendum, quod ratio sit præfata. Unde Censor ex numero illorum hominum est, de quibus ille celeberrimæ Universitatis Parisiensis Coryphæus Gerson. tract. de dist. ver. revel. à fals. in initio 1. p. profert: *Apud tales nova qualibet moneta Divinæ revelationis sic incognita est, & Barbarea, vt confestim ad se ductam cum grandi cachino, & indignatione reijciât, irrideant, & accusent.* Hoc autem est Kænnitium, Centurias Magdeburg. & alios recentiores eiusdem methodi revelationes protelantes apertè sapere. Unde hæc Censura nostram Catholicam Religionem Hæreticorum exponit contemptui, quia fundamentum præbet Hæreticis contemnendi nostrates omnigenas revelationes.

Demum ex dictis quis sibi poterit persuasum habere hanccine esse Sapientissimæ, & Almæ Universitatis Parisiensis Censuram? Ingenuè fateor, quod etsi tantam, tamque Sacram Theologorum Aulam, mirificis infulis sapientię, & Religionis admodum cataphractam, huiusce Propositiones articuli damnantem intuerer, adhuc potiùs me rimarer illusum, quàm ipsam ita prolapsam crederem: Præsertim cum omnes præfatę Propositiones in laudem, & honorem cedant Deiparæ, de qua S. Epiphanius serm. de Laud. Virg. sic effatur: *Solo enim Deo excepto, cunctis superior existis, natura formosior es ipsis Cherubin, & Seraphin, & omni exercitu Angelico, cui prædicandę cœlestis, ac terrena lingua minimè sufficit, imo verò neque Angelorum: Etenim ipsi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt, non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt.* Et deindè cum vt ait illeS. & MaximusDoctor Ecclesię Hieronymus serm. de Assumpt. cui frequentèr consonant Sanct. Patres: *Nulli dubium, quin totum ad gloriam laudis eius* (scilicèt Dei) *pertineat, quidquid Genitrici suæ fuerit impensum, atque solemnitèr attributum.* Unde concludit, quod *Honor maternus eius est, qui natus est ex ea.* In cuius laudem honorem, & gloriam cuncta cedant dicta.

Omnia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, eiusque Doctorum correctioni submitto.